NAZ.
e III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
A
26
NAPOLI

ARGUTÆ VIRILITATIS EXERCITAMENTA,

SEU

EPIGRAMMATON PARS TERTIA

In tres Libros diviſa

CAROLO SEXTO

Romanorum Imperatori Auſtriaco, atque Hiſpaniarum Regi piiſſimo Dicata,

AUTHORE

CÆSARE FANELLI

Laureato Archipoeta ex Floreno, & Academico Peregrino in Romana Peregrinorum Academia, ubi Pauſilypi Apollodorus antonomaſticè appellatur.

BIBLIOTECA NAZIONALE

NEAPOLI, In Typographia Toletana Dominici Antonii Parrini MDCCXVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Authoris Sumptibus.

[illegible]

CAROLO SEXTO

Romanorum Imperatori
Auſtriaco,
Atque Hiſpaniarum Regi piiſſimo
Opus ſuum
Ad Amoris, Fidelitatis, & Obſequii
Indicium, Teſſeram, atque
Argumentum
Donat, Dedicat, Dicat

CÆSAR FANELLI
Ex Floreno.

O Sol Auſtriadum, Rex Carole maxime Regum,
Quem Patrem, & Dominũ Mundus uterq; colit;
Temporibus priſcis dilexit Apollinis Artes
Auguſtus, Romæ Numen, & Orbis Amor:
Præmia plura dedit Muſiſque, & Vatibus, atque
Gloria Mæonidum, Pieridumque fuit:
Naſo Maro, Flaccus tanto ſub Principe fulſit,
Et viguit ſumpto Robore Mentis Opus:
Nunc Ego Spes Phœbi tenuis, rudis Incola Pindi
Ante Tuos ſupplex, cernuus ante pedes,
Hoſce dico Verſus, incultaque Carmina ſacro,
Parce Auſis; ſpernas nec Metra parva, rogo;
Vel Deus ætherei ſummus Moderator Olympi
Oblati Thuris parvula grana probat;

Fr[illegible]

Fronte igitur placida, placidoque hæc accipe vultu
Exiguas Nugas exiguoſque Jocos:
Ex Titulis, radiiſque Tuis ea lumina ſpero,
Quæ Decus Ingenio, Carminibuſque ferant:
Te Duce, Te Domino, Te Principe rideo Momos,
Qui mihi, qui Muſis Vulnera mille parant:
Interea felix tot fortia ſæcula vivas,
Quot fluctus Æquor, quot vomit Ætna faces:
Hoſtibus edomitis, totus Tibi ſerviat Orbis,
Et ferat Auſtriacum Thracia Luna Jugum.

ARGUTÆ VIRILITATIS EXERCITAMENTA,

Seu EPIGRAMMATON LIBER PRIMUS:

Ad Lectorem ſui Operis EPIGRAMMA. 1.

PLura quidem cecini tamquam primordia mentis
  Indigeſta, ſuis non bene culta modis;
Nunc nova de calamo refluunt, dulciſſime Lector,
  Tradita laurigeris, Sorte jubente, Typis:
Cuncta ſupercilio placido, vultuque benigno
  Perlege, nec rigido lædere dente velis;
Si quid peccabunt Epigrammata, parce libenter;
  Difficile hoc metri creditur eſſe Genus;
Non eſt dumtaxat carmen, ſed nobile carmen,
  Quod debet lepidos continuiſſe Sales:
Si fortè inſulſum, ſibi gignit ubique Cachinnos;
  Non plauſus; Momos in ſua damna movet:
Dat Phœbo Lectoris Amor, Muſiſque Calorem;
  Ingerit Aſperitas corde maligna gelu;
Quod reputat Vulgus dignum, dignum eſſe putatur;
  In pretio eſt quidquid Gloria ſola probat:
Si laude excipies, parvo poſt tempore majus
  Non dum perfectum, perficietur Opus.

Author de Libro ſuo. 2.

AMphion cantu Thebanas condidit arces,
Ut perhibet centum garrula Fama tubis;
Laudatur quà nata Dies luce emicat, & quà
Obſcuris tenebris contumulata cadit;
Ingenii celebramus Opus, celebramus, & Artem;
Plauſus adimplevit Solis utramque Viam:
O quæ patravit fidibus miracula Virtus!
O quod prodigium voxque, ſonuſque comes!
Obſtupet Occiduus populus, miratur Eous,
Neve Gethæ ceſſant plaudere, neve Scythæ;
Quà Leo, quà Taurus, quà Virgo, & Scorpius extat,
Æternas laudes jam Cytharædus habet:
Neve eſt, neve fuit Cytharis, qui conſtruat Urbem,
Neve erit; hoc Fabri dextera ſola poteſt;
Nunc Ego Carminibus ſuperaſſe Amphiona credor,
Hunc quia confeci, compoſuique Librum;
Longa Ætas tacito Thebarum Mœnia lapſu
Perdidit, & pulvis machina tanta jacet;
Deſtruet hoc parvum Violentia nulla volumen;
Omnia quod rodit, ſub pede Tempus habet.

Novus Annus. 3.

JAm novus effulſit, Fatis ducentibus, Annus,
Atque alii incipiunt currere in Orbe Dies:
Janus adeſt, cantate hymnos, mactate bidentes,
Inque ſacris fument thurea dona focis;
Cum ſenibus dulces pueri, teneræque puellæ
Fervida Cælicolis vota, preceſque ferant:
Bella abeant, populis redeat Pax aurea vultu,
Depoſitis armis, cingat Oliva Duces:

Per

Per medias Aras, per Compita, perque Senatum
  Laurigeras frondes fundat amica manus :
Sed mihi mellifluam Cytharam det gratus Apollo,
  Ut feſtis numeris carmina feſta canam:
Sæva Lues, rigidus Mavors, & triſtis Egeſtas
  Exulet è populis, dicere ſæpe juvat:
Cum Jano veniat Juno, Lucina, Cupido,
  Gratia, Simplicitas, Candor, & alma Venus:
Per medios regnet pleniſſima Copia campos;
  Provida cum Baccho vernet ubique Ceres:
Nec Gladius per Regna furat, nec Sica per Urbes;
  Nec Mors ſæva obſit, nec metuenda Fames;
Omnia ſuccedant hilari felicia curſu;
  Omnia divitias, deliciaſque ferant.

Defuncti Patris Memoria. 4.

HÆc eſt illa Dies, lacrhymas quę meſta quotan-
  Excitat, & gemitus duplicat atra meos: (nis
Extincti Genitoris Amor ſuſpiria adauget,
  Et renovat cordis vulnera dura nimis:
O miſerum Fatum! crudelia Sydera! Clotho
  Improba! cauſa mali vos Elementa mei!
Siccine turbatis Muſarum Gaudia, & Oeſtrum!
  Siccine diripitis, quod fuit ante, Jubar!
Me tenebras inter video langueſcere, & umbras;
  Jamque mihi deſunt Mentis, & Artis opes:
Quandoquidem Genitor fuerat ſpes unica noſtri,
  Et tenui dulcis Portus, & Aura Rati;
Clara dabat quodcumque meis ſua dextera votis;
  Nec veſtes deerant, neve alimenta Gulæ:
Sed Luctus, triſtiſque Dolor procul exulet, inter
  Elyſios manes jam Patris umbra jacet:
Sic Pietas, ſic ſancta Fides, ſic ſpondet Honeſtas;
  Neve Homines didicit lædere, neve Deos.

Pax inita. 5.

SAt Marti, Mortique datum; ſat Buccina cornu
Infremuit; fluxit ſanguinis unda ſatis;
Afflictis populis redierunt fœdera Pacis,
Fœdera quæ firmet non violanda Quies:
Depoſuit Bellona enſes, gladioſque minaces;
Mella cruentata in caſſide format Apis:
Per vicos, urbiſque vias per compita, & Ædes
Gaudia deliciis conſociata calent:
Parthenope decorata comas, gemmiſque capillos
Monſtrat in excultis lumina mille genis:
Pauſilypi exultant colles, Prochyteque triumphat,
Et Mergelline duplicat ore melos;
Ampliùs haud Genitrix Natos lugebit ademptos,
Neve ſoror fratrem, nec ſua ſponſa virum;
Ex humeris jam Luctus abit, Toga culta refulget;
Aurifera exornat membra decora Chlamys:
Sebethus dat thura Diis; dant omnia grates;
Nereides referunt corde calente preces:
Bella urbes perdunt, triſtique in funere verſant;
Felices populos Paxque, Quieſque facit.

AD RUFUM 6.

Ut gaudeat, recedente Hyeme.

JAmque abiit crudelis Hyems, nec perſonat Imber
Ampliùs, aùt Nimbis ſæva Procella fremit;
Eclypſat Solis radios minùs atra Caligo,
Et lucent vultu fulgidiore Dies:
Per campos ludunt Dryades, dulceſque Napeæ,
Najades, Oreades, Caſtalidumque Cohors;
Erum-

Erumpunt flores Terræ de viſcere, & Arbor
Concipit aerias, frondiferaſque comas:
Nec Glacies concreta riget, neve horrida Grando
Verberat urbanas pernicioſa Domos:
Fabricat ore caſas pullis Philomela futuris,
In quibus exoptat continuare genus:
Flumina decurrunt ſine compede lapſa per Agros;
Altaque Nix fluvidas neve moratur Aquas:
Nunc Fas, nunc Tempus lepidas agitare Camænas,
Ingeniumque metris erudiiſſe licet:
Argutos verſus facias, Tu Rufe, rogamus,
Qui plaudant Phæbum, Theſpiadumque Choros;
Carmina Ego ſcribam, laudent quæ Cæſaris Aulam,
Non ambos eadem dulcia Vota trahunt:
Omnibus una Fides nuſquam eſt,atq; una Voluptas,
Intùs amant Omnes, nec tamen unus Amor.

AD BYTHINNICUM. 7.

Benè vivendum eſt, ut non pereamus poſt Mortem.

QUis non guſtabit crudelia Toxica Mortis?
Quis fugiet fulmen? Quis, Libitina,tuum?
Ex utero matris vitæ tranſimus ad Auras,
Ut tandem Pulvis ſimus, & Umbra levis:
Alcides ubi nunc? ubi nunc fortiſſimus Hector?
Pyrrhus ubi? cineres flebilis Urna tegit:
Neve juvant Tituli, nec magna Potentia prodeſt,
Neve juvant pedibus ſubdita Regna tuis:
Luſtra fluunt, rapidiſque alis dilabitur Ætas;
Neve puer vitat funera, neve ſenex:
Contemnit metuenda preces, & munera Clotho,
Nec curat lacrhymas, nec timet atra minas:

Quique ſemel ſtygioſque Lacus,ſpectabit, & Orcũ,
Atque Acherontæas puppe ſecabit Aquas:
Diſce Pium, Rectumq. ſequi, Bythinnice, & Æquũ;
Diſce timere Homines, diſce timere Deos:
Nec te conturbet Facinus, nec fæda Libido,
Ne te Proditio perdat, & Ambitio:
Effugias Lucrum quoties, offuſcat Honeſtum;
Effugias pravæ Conditionis opes:
Relligio, & Pietas tutos nos reddit ab Urna;
Qui perit æthereis ſedibus, ille perit.

AD PONTICUM. 8.

Quod legibus præjudicat, faciendum non eſt.

QUod libet, hoc patras, liceat, ſeu Legibus obſtet
O Hominem mentis, conſiliique levem!
Nunc aliena rapis Furto, vetitiſque Rapinis;
Nunc Coitu violas jura, Stuproque gravi:
Nunc lætas ſegetes uris, plantaſque per Agros;
Nunc aliis fraudes texis, & inſidias;
Nunc Templa inflammas, nũc ſacras deſtruis Ædes,
Improba ut eripiat Dextera quidquid habent:
Nil intentatum; nil, Pontice, linquis inauſum;
Regibus excidium, Perniciemque paras;
Colligis armatos; ad crimina peſſima inermes
Conſulis, & præbes ad ſcelus omne manus:
Ut Catilina furis, Verres furaris ut alter;
Ambitione cales, Luxurieque flagras:
Criminibus metam ponas, rogo, Pontice, & Auſis,
Deficere an reputas Tela triſulca Jovi?

AD POTITUM. 9.

Patientia adverſitates mulcet.

REbus in adverſis Patientia ſola levamen
Creditur; hæc mulcet quodque, Potite, malum;
Meteriant Hoſtes gladio, perimantque veneno,
Eripiant aurum, diripiantque Togam;
Jurgia multiplicent pravis, fædisque libellis,
Obſcurent Famam, diminuantque decus;
De ſtatu litem moveant, ſpuriumque, nothumque
Appellent; dicant qualiacumque velint;
Omnia ſubſtineo conſtanter, & omnia ſperno;
Inque animis patior vulnera nulla meis:
Mens Aloem præbet, mens ſuggerit unica Nectar;
Tale tibi eſt Fatum, quale, Potite, putas.

AD PAULUM. 10.

Quid poſſint lacbrymæ apud Deum.

CUm divina Themis per Regna, per Oppida, &
Ultrici vibrat fulmina miſſa manu, (Urbes
Nulla juvant Homini munimina; Caſſis, & Ægis
Nulla ſuas vires oppoſuiſſe poteſt:
Neve ſpecus prodeſt, nec quærere, Paule, Receſſus,
Inque imis latebris occuluiſſe caput:
Frangitur omnis Obex; languet Vis omnis, & Auſus;
Arma nec auxilium, neve levamen habent:
Quò quò te vertis, Deus eſt; ſuper Ætheris Arces
Aufugis? hic ultrò te necuiſſe poteſt:
Carpis iter præceps per turbida Cærula Ponti?
Ictibus hic pariter, ſupplicioque premit:

Seu pennis Auſtrumque petas, gelidoſque Triones;
  Seu penetres alis Solis utramque Domum;
Te Nemeſis metuenda tenet, te concremat, urit;
  In parvos cineres ſolvit, & in nihilum:
Si tamen admiſſum facinus gemit Impius, Iris
  Naſcitur, & ceſſant Tela ferire Reos;
Exiguus Fletus potis eſt magis omnibus armis;
  Mitigat iratum protinùs ille Deum:
Sæpe gemas igitur, ſi crimina ſæpe patraſti;
  Delet enim Gemitus crimina, quotquot habes.

AD NEARCHUM, II.
Cui verſus ſuos Autbor mittit.

ACcipe, quas optas, ſpecioſe Nearche, Camænas:
  Expectata diù jam tibi metra damus:
Da veniam ſiquid peccant mea carmina; namque
  Ingenii nunquam Lima reformat opus:
Quidquid concipimus, parimus; nec tempora partum
  Maturant; facimus cùm tibi metra rogas:
Prompta mihi Pallas, pariter mihi promptus Apollo:
  Quod ſcribo, promptum eſt; Quodque, Nearche, (cano:
Si phaleræ deſunt verbis, ſi lumina Muſis,
  Ne carpas verſus, docte Nearche, meos:
Hoc unum ſatis eſt, ſunt omnia grata palato,
  Namque pedum placido tramite cuncta fluunt:
Nil puerile ſonant, nil audax, nilque pudendum,
  Nil durum, aut crudum, quod laceretur, habent:
Ars placuiſſe ſolet, ſed tædia triſtia gignit
  Quandoque, & ſtomachum deſpicienda movet:
Natura ingenio, quid neſcio, provida donat;
  Quod rude quantumvis, valdè, Nearche, rapit:
Caſtalidas noſtras nos credimus eſſe puellas,
  Quò plus neglectæ, plus tibi ſæpe placent.

AD

AD DINDIMUM. 12.
Quòd Gratitudo laudabilis ſit.

AUfidius vehementer amat me, Dindime; ſæpe
Ille mihi Caules mittit, & Aſparagos;
Exiguos Hortos emit ſibi pauper ad Urbem;
Hoſque colit curis ſedulus, hoſque fodit:
Moribus humanus; dictiſque, animoque benignus,
Corde humilis donat quod mea dextra capit:
In me flagrat Amor, quoties ſua munera confert;
Ruſtica quantumvis Gratia, valdè placet:
Neſcio quo pacto munuſcula talia reddam;
Neſcio quo dono reſtituiſſe queam;
Si verſus dederim, Foſſor contempſerit illos;
Nec metra, nec ſimplex verba latina ſapit:
Si nummos referam, munus ſic Emptio fiet,
Et factum hoc credet Dedecus ille ſuum:
Mox veniet, Meſſis, tritici tres, Dindime, Coros
Accipiet; panis fruſtra miſellus amat.
Si triticum deerit, vindemia proxima ab Arvis
Præſtabit gratum, melllifluumque merum;
Piſcatoris agit partes qui mittit, & offert;
Exiguum donat, plus habuiſſe cupit:
Triſtis Avarities capere eſt, & quærere lucrum;
Ingenuos Homines libera dextra notat:
Quod virtutis habet ſpecimen, faciamus, oportet;
Quod vitii, fugias, Dindime, ſemper opus.

AD POSTHUMUM. 13.

Quòd mors adverſitatibus finem imponat.

TE quoties Fortuna premit, contorquet, & urget,
Nec fletu madeas, Poſthume, nec doleas:
Omnia pro ſuperis conſtanti pectore ſpernas,
Omnia pro Cœlo ſubſtinuiſſe velis;
Virtutes adverſa augent: Contraria mentem
Exacuunt, meriti nobile pondus habent:
Malleus illuſtrat ferrum ſub vulneris ictu;
Maſſam auri nitidam fervida flamma facit:
Frugiferam Terram reddit, cùm ſcindit, Aratrum;
Poma reciſa arbor nobiliora parit;
Reſtituit membris tolerata Diæta ſalutem;
Sæpe tulit morbo ſuccus amarus opem:
Si mors eripiat dulciſſima pignora, ſuffer;
Suffer, ſi Genitor; ſi tibi mater obit;
Si Segetes ſteriles fiant, pecudeſque, gregeſque,
Decidat è labiis nulla querela tuis:
Abſtineas ira pariter, ſi fluctibus Æquor
Perniciem Ratibus, Naufragiumque ferat:
Job mala ſubſtinuit, tamen aſpera ſortis Imago
Mutata eſt vultu nobiliore nimis:
Poſt longos imbres, poſt triſtia Nubila Cœli
Fulgurat aſpectu fulgidiore Dies:
Poſt rigidas pugnas, poſt horrida prælia Martis
Afflictus populus fœdera pacis habet:
Nil eſt perpetuum pulchra ſub Imagine Lunæ;
Miteſcit lapſu temporis omne malum:
Mors ſaltem faciet miſeros de compede tutos;
Lenta licèt veniat, nos premit atra ſemel.

AD

AD VIRGINEM DEIPARAM.
Dum frater maligna febri laborat. 14.

O Superùm Regina potens, Lux aurea mundi,
Maxima ſpes hominum, Cęlicolumque decus.
Affer opem fratri, fratris miſerere rogantis,
Nec ſpernas quotquot fundimus ore preces:
Tres menſes refluunt, ex quo ſæviſſima febris
Extorquetque Artus, vexat, agitque ſuos:
Pharmaca nec morbo proſunt, nec fercula; luget
Semper, & in querulos ſolvitur uſque ſonos;
Illachrymat mæſtus; ſuſpiria mittit ab imo;
Neve poteſt gemitus continuiſſe graves:
Non ſic exclamat medio qui ſtratus in igne
Ante oculos ſpectat mortis adeſſe diem:
Tu Virgo ſpecioſa veni, duc pharmaca tecum,
Quæ fiant tantis utiliora malis;
Cæleſtes ſuccos potet, ſanctoſque liquores,
Ex quibus epotis profluat alma ſalus;
Sic benè compeſces natos in corde dolores;
Mulcebit miſeros una medela duos:
Si morbus ceſſat, ſi deſinit improba febris,
Plura addam Templis debita dona tuis:
Ante Aras ſupplex precibus tibi ſtabo quotannis;
Et ſacri Thuris munera aduſta dabo:
Effundam teneras violas, floreſque comantes,
Et quidquid pulchri Tempora Veris habent:
Interea junctis votis tibi corda ſacramus;
Auxiliis præſens Nos tueare tuis.

Deſcriptio Hyemis. 15.

JAm Sol intravit frigentia ſidera Capri,
  Quæque obiit, vultu dira redivit Hyems;
Vix exorta Dies Noctis confunditur umbris;
  Longior obſcuros Luna gubernat Equos:
Per medium reboant metuenda tonitrua Cœlum,
  Et ſpiſſis facibus fulmina mixta cadunt:
Grandinibus pulſatur Humus, pulſatur & Arbor;
  Populeas ſternit Ventus ubique comas:
Nix operit montes; & prædia, & Arva pruinis
  Vexantur; ſegetes urit ubique Gelu:
Flumina per campos celeri reſonantia curſu
  Præcipitant; Imbres Paſtor, & horret aquas:
Ne pereant, ſervat ſeptis armenta Bubulcus,
  Et Mopſus capras, & Melibæus Oves;
Nec ſatyros ſpectas cantu mulcere Volucres,
  Nec pulchras Dryadas, Oreadeſve Deas:
Quique Domi vivit ferventi proximus igni,
  Et gaudet nimios ante jacere focos;
Ipſe Ego detector longiſſima tædia noctis,
  Nec tantas tenebras ſubſtinuiſſe queo:
Interea Cytharam capio, quam doctus Apollo
  Præbuit, & dulces mitto ſub Aſtra ſonos:
Alcidæ plauſus refero, memoroque triumphos;
  Quodque egit Pyrrhus, fortis & Hector opus:
Hiſce addo rapti claros Ganymedis Honores,
  Junoniſve odium, Luxuriemque Jovis:
Pluribus exactis Horis, do lumina ſomno,
  Et venit hac oculis gratior arte ſopor.

AD

AD MAXIMUM 16.
Dum Romam ire meditatur.

BElligeri Martis mox ibis,Maxime,in Urbem,
  Et Tyberis placida fronte videbis Aquas;
Marmora ſpectabis viventia ab arte, Coloſſos,
  Pyramides, Fontes,Templa,Theatra,Domos;
O quot ſub calidis fibris ſolatia habebis!
  O quot fervebunt gaudia nata ſinu!
Conſpicies villas inter colludere Nymphas,
  Et teneras violas carpere ubique manu;
Ex animis dolor exul erit; de pectore mæror
  Aufugiet; nec te ſpinea cura premet:
Ut via ſit felix, felicia numina ſaxint;
  Verberet haud humeros ſæva procella tuos:
Neve fremat Boreas flatu, nec perſtrepat Auſter,
  Nec tenebris velet cæca caligo dies;
Te veneror nimiùm,nimiùm colo,Maxime,amoq;
  Nam tibi nec fraus eſt, nec tibi in ore dolus:
Moribus ingenuus mihi crederis eſſe,neo ullum
  Lædere ſcis Fidei, Juſtitiæque tenax;
Etruſcas muſas ſequeris, ſequeriſque latinas,
  Caſtalii fulges gloria prima chori:
Audivi, vidique tuas quàm ſæpe Camænas,
  O quantum teneri mellis, & artis habent!
Si vitæ ſervent pendentia ſtamina Parcæ,
  Mæonidum fies, Theſpiadumque Decus;
Roma caput mundi quondam ſuper æthera Vates
  Subſtulit, o Muſas tollat ad aſtra tuas.

AD

AD PAMPHILUM 17.
Quòd ille ſit felix, cui parum ſufficit.

SInt tibi Divitiæ, quondam quot Cræſus habebat;
Sint gemmæ, quotquot ſervat Erythia ſinu;
Sint tibi regali ſpecioſa Palatia faſtu,
Et nitidæ trabibus, marmoribuſque domus;
Mille tibi longos errent armenta per agros,
Lanigeræ pecudes, cornigerique Boves;
Mille tibi annoſo fument Carcheſia Baccho,
Et totidem caleant nocte, dieque Dapes;
Sit tibi, ſit media famulorum flumen in Aula,
Ex nutu pendens, imperiiſque tuis;
Delicias omnes præſtet tibi blanda Voluptas;
Gaudia, quæ poſcis, det tibi pulchra Venus;
Sit tibi, quæ fuerat Midæ conceſſa, poteſtas:
Sint aurum, tangit qualiacumque manus;
Sis Nero, ſis Cæſar, ſis faſtibus Attalus alter;
Quidquid amat ſenſus, Sardanapalus habe;
An ſic te reputas felici ſorte beatum,
Pamphyle? deciperis, ſic magè pauper eris:
Multa cupit, quamplura ambit, cui plurima Fatum
Conceſſit; votis nil putat eſſe ſatis:
Ille unus felix vivit, cui lumen, & aer
Sufficiunt, ſpernit cætera, amatque nihil:
Triſtis Avarities hominum præcordia vexat,
Interiùs Pacem, Lætitiamque rapit:
Porrigit in cyatho fuſum crudele venenum
Sæpe hæres, mortem vel fera ſica parat:
Fluctuat ut pelagus magnis Aquilonibus actum,
Sic mens aggeſtas fluctuat inter opes.

AD

AD FABIANUM. 18.
Quòd Studium Laſciviam frænet.

GAllorum, Fabiane, Lues craſſatur in Urbe;
Langueſcit membris tota Juventa ſuis:
Quique dolet, mittitque altos de pectore queſtus,
Et lachrymæ magni fluminis inſtar eunt;
Effugias cautus muliebria gaudia, ab illis
Naſcitur hic morbus, Perniciesque fluit.
Invitat cùm te Cloris, vel fulgida Phyllis,
Amplexus vita, colloquiumque cave;
Præcedit riſus, ſequitur poſt prava voluntas,
Denique luxuries triſte ſuadet opus;
Claude oculos quoties mulier venit obvia, vultu
Delicioſa nimis, fronte modeſta parùm:
Si ſomnus turbat ſenſum, ſi dulcis imago,
Cælicolas omnes ad tua vota roga;
Ardentes flammas, pravique Cupidinis ignes
Extinguet ſtimulis frigida facta Venus;
Da ſtudiis, Fabiane operam, noctùque diùque,
Nec ceſſet codices volvere dextra vigil;
Nunc juris præcepta legas, & dogmata rerum,
Quæ clauſa in chartis Juſtinianus habet:
Nunc percurre libens quæ carmina ſcripſit Homerus,
Vel Maro, jam muſis clarus uterque ſuis;
Nunc tibi Ariſtoteles placeat; Democritus Author
Nunc oculos teneat, contineatque tuos;
Enervat Pallas Venerem; ſtudiumque refrangit
Tela pharetratus quot jaculatur Amor.

AD

AD CASTRONICUM. 19.

Quòd Virgilius ſit optimus inter Poetas.

OMnia, quæ ſpectas, lædis, Caſtronice, morſu,
Fundis & è labiis multa venena tuis;
Vidiſti nuper Muſas, & metra Maronis,
Nec potuit tanto parcere lingua viro;
Fur eſt, dixiſti, non ſcripti carminis Author;
Ex aliis rapuit, pagina quidquid habet:
O Rabies maleſana quidem! Vis improba mentis!
O ſcelus! o Livor, triſtis, & Invidia!
Virgilius Vatum decus eſt, & gloria felix,
Heu diſcas dentes continuiſſe leves;
Græcorum ſacra dicta ſequi, ſenſuſque videtur,
Aſt opus ingenii creditur eſſe ſui:
Inſtar Apis multis ex Vatibus omnia ſumpſit,
Sed mel effecit, quod ſibi nullus habet;
Inſpice ſublimes Veneres, Chariteſque loquendi;
Inſpice conſilii lumen, & ingenii,
Dixeris Aonidum Sobolem, Fontemque Poeſis,
Progeniem Phæbi, Mæonidumque decus;
Non eſt, neve fuit, nec erit par ullus in Orbe;
Virgilio Vates cedere quique poteſt:
Excidium Trojæ, Priami lachrymabile Fatum,
Æneæ longum per mare ſcripſit iter:
Omnia, quæ ſcripſit, non ſunt, quia lapſa, nec extant;
Quod finxit, vivit, neve peribit Opus.

AD

AD QUINCTUM. 20.
Quòd Amor Amore compenſandus ſit.

MUnera miſiſti nuper, chariſſime Quincte,
Munera carminibus debita, & apta meis.
Nimirùm virides Apri cum fæmore Lauros,
Addita ſunt Horti dulcia poma tui;
Crimina dilanio muſis Virtutis amore,
Et vitiis verſus vulnera plura ferunt:
Qualis Aper contrà facinus dente invehor,atque
Adverſor pravis moribus ore minax;
Quot metra,tot fructus ſapientibus offero; Lauri
Propterea mereo dulcia dona comis:
Æternas refero memori de pectore grates;
Reddere quod nequeo, Fata benigna ferant:
Luſtra addant Luſtris; Annis refluentibus annos;
Omne bonum teneas, nec patiare malum;
Filioli creſcant hilares, neve opprimat umquam
Improba Vis morbi, nec Libitina necet:
Frugifer evadat parvum, quem percolis;Hortus;
Nec glacies plantas, nec malè perdat Olus:
Pulchra uxor ſtabilem ſemper tibi ſervet Amorem;
Nec ſolvant initam vota ſecunda Fidem;
Ex genio eveniat, facies quodcumque; nec illud
Infauſtum Rebus ſitque, cadatque tuis:
Nox tibi cum placido ſomno ſuccedat,& abſint
Crudeles lites, exoriente die:
Eſſe animo gratus, recipit qui munera,debet;
Convenit ut Cultor fiat Amoris Amor.

Ad

Ad Cenſorem ſui operis. 21.

TErra parit ſegetes, durum cùm ſentit Aratrum,
Dat flammas crebris Ictibus acta ſilix:
Malleus illuſtrat, rigidè cùm verberat, Aurum,
Et botros ferro ſaucia Vitis habet;
Sic quoque Cenſuras patitur cùm pagina, lumen
Concipit, & lepidus Verſus acumen habet:
Ulcera vulneribus tibi curat, & Igne Chirurgus;
Nobilitat, quoties lingua flagellat, opus;
Corrige ſæpe, precor, mea carmina corrige, Cenſor;
Addit enim chartis æqua litura Decus.

AD PAULINUM. 22.
De Kalendis Sextilibus.

SExtiles rediere iterum, Pauline, Kalendæ;
In medio caleant Gaudia mille ſinu:
Menſa dapes duplicet, duplicet carcheſia Bacchus,
Sit Dolor ex Animis, Triſtitieſque procul.
Prodiga facta manus mittat ſua munera Amicis,
Pinguia ſeu Porcæ fæmora, ſive Merum:
Mille canant Hymnos Pueri, caſtæque puellæ,
Cum ſenibus juvenes carmina ad Aſtra ferant:
Nos Juno, Lucina, Venus cum Patre Lyæo
Tempus in omne beet; tempus in omne juvet:
Nec ſterilis Campus fiat, nec langueat Hortus,
Nec noceat populis nata repentè Lues:
Mars rigeat, caleatque minùs per Regna, per Urbes;
Dulcis Amor regnet, Paxque; Comeſque Quies:
Inſpiciat placidus nos Juppiter æthere ab alto;
Neve Agros perdat fulmine, neve Domos.

Ju-

JUSTITIÆ OPTIMA ADMISTRATIO Regnante Carolo VI. Imperatore Auſtriaco. 23.

DUm Rex Borbonius populos ditione regebat,
Et ſua Parthenopæ provida jura dabat,
Undique lugebat mæſtiſſima Turba Clientum,
Nec poterat gemitus continuiſſe graves:
Juſtitiæ lances non ſtabant pondere in æquo,
Nec Judex legum ſollicitabat opus;
Nunc regnat CAROLUS populorum gloria felix,
Quo nihil in toto Iuſtius Orbe reor;
Reddita Juſtitiæ eſt tanto ſub Principe Imago;
Curia ſollicitat cuique dediſſe ſuum:
Neve Reis proſunt lachrymæ, nec gratia, & aurum,
Nec de conjuncto ſanguine natus Amor:
O vivas longos annos, o CAROLE, vivas;
Gaudia ſunt Regno, cui modò Fletus erat.

Ad Paulum. 24.
Quòd quotidiè mori poſſumus.

VIvimus, & celeri curſu properamus ad Urnam;
Sollicitant noſtros improba Fata pedes;
Præſcriptum metimur iter non paſſibus æquis,
Hic citiùs complet, tardiùs ille viam:
Sunt qui poſt longos annos pereuntque, caduntque;
Sunt qui ſub primo lumine funus habent:
Paule, time, quamvis vultu tibi floreat Ætas;
Te trahere ad tumulum quælibet Hora poteſt.

Sta-

Statua Antonini Pii 25.
In Romano Capitolio.

HIc ubi magnifico ſurgunt Capitolia faſtu,
Et laudantur adhuc Templa vetuſta Jovis;
Inſpice Equum, tueare Equitem, peregrine Viator,
Hoc, dices, nuſquam grandius extat Opus.

Pro feſtivitate S. Annæ Magnæ Deiparæ Matris. 26.

SUrgite, Caſtalides; fecere ſat Otia ſegnes;
Sollicitet juncto Carmine Dextra Lyras:
Non auditus adhuc tollatur ad Æthera Cantus;
Perque Vias reſonent Gaudia, perque Domos:
Sidera, Sol, Phæbe, Natura, Elementa triumphent,
Et texat varios feſta Chorea Jocos:
Syrius ardentes radios compeſcat, & Ignes;
Nec nimis æſtivo ferveat ore Canis:
ANNA ſibi poſcit Spectacula ſacra; per Aras
In mediis fument Thura peruſta focis:
Reginam ætherei thalami dedit inclyta ab Alvo,
Quæ meruit Puerum progenuiſſe Deum;
ANNA ferat CAROLO felicia ſæcula,& Annos;
Aux ilium Venetis addat, & Auſtriacis:
In Pelago Thraces pereant, ut noſcere poſſint
Chriſtiadum precibus Vim potuiſſe minus.

AD

AD PAULINUM. 27.

Inſtante Vindemia.

OCtobris, Pauline, Dies jam cominùs adſtant;
Scorpius aſſurgit, proxima Libra cadit:
Per medios campos Vindemia plena Lyæo
Fervet, & ex botris eruta Vina calent:
Agricolæ ſuperis Hymnos, & Carmina dicunt;
Ruſtica Gens Baccho vota, preceſque ſacrat:
Hìc Pars vaſa parat, Pars illic colligit Uuas;
Collectas Uvas Pars pede laſſa premit:
Lætantur teneri Pueri, teneræque Puellæ,
Et miſcent blandis Gaudia mille Jocis:
Viſere nunc Agros Tempus, nunc viſere Villas,
Pauſilypi Colles nunc adiiſſe licet:
Otia ſint Studiis; tandem ſint Otia Muſis;
Ut Labor Ingenio, ſic juvat alma Quies:
An cras vivemus, dubium eſt, Pauline; Voluptas
Omnis obit, poſtquam Nos Libitina necat:
Lætitiam differre Furor mihi creditur; ergo
Vel ſit Rheda tibi, vel tibi prompta Rates:
Nereides gaudent, & Najades undique rident;
Quid cohibet noſtrum? Quidve moratur Iter!

Ad Carolum VI. Imperatorem Auſtriacum, ut Turcarum Claſſem diſſipet. 28.

PEr Pelagum Thraces jam plurima vela pararunt,
Innumeraſque ſibi conſtituere Rates:

A dria-

Adriacos fines turbant: Timor undique,& Horror,
CAROLE, quid facies? dextera ſegnis erit?
Tu caput Imperii; Mundi Tu prima Poteſtas;
Tu Fidei Robur. Chriſtiadûmque Vigor:
Collige belligeras ex omni parte phalanges;
Aglomera fortes, armigeroſque Duces;
Agnoſcant Hoſtes, qui ſis, & robore, & Armis;
In mediis habeant fluctibus Excidium:
Aſtra Tibi aſſiſtent; Vires Tibi conferet Æther;
Relligio hinc Lauros præparat,inde Fides.

AD PAULUM. 29.
Quòd domum habeat propè Mare.

PArva tibi Domus eſt vitreas propè Doridos un-
Invideo nimiùm, Paule, nec Invideo: das;
Delicias equidem medio tibi præbet in Æſtu;
Mulcet enim calidi Temporis Aura faces:
Sed Somnos,Pacemque rapit,dulcemque Quietem,
Ventorum fremitu cùm mala ſævit Hyems;
Tunc Neptunus Aquis fremit undique, & undique
Et fluctus crebris flatibus Eurus agit: (Tethys,
Saxa ſonant commota Vadis, commotaque fundo,
Et turbant ſtrepitu qualiacumque facis:
Eſſe opto tecum quo tempore Syrius ardet;
Sed cupio, Arcturus cùm riget, eſſe procul.

Ad Bythinnicum. 30.
Quòd non ſemper in Urbe vivendum ſit.

CUm Pater Autumnus pomis redimitur, & Uvis
Urbanos gaudes deſerviſſe Lares;
Prædia,Agroſque petis,dulces,Bithinnice,& Hortos;
Spumat ubi Bacchus, Muſtaque plena fluunt:
Agri-

Agricolas dulci ſpectas, & fronte Colonos,
  Semicaproſque Homines, Semiſueſque Viros;
Ruſticitas dat mille Jocos, & Gaudia mille;
  Nec ſtat Triſtities, nec tibi Corde Dolor:
Eſt rigidum ſemper, Bythinnice, vivere in Urbe;
  Cenſor ibi Mores corripit uſque tuos.

AD LÆLIUM. 31.

Quòd Solus Deus felices faciat.

MUndus Amarities, Læli, Mortalibus offert,
  Inque ſinu Nullus Gaudia vera tenet:
Eſt qui non recipit ſterili de conjuge prolem,
  Et ſua cum gemitu Fata proterva vocat:
Eſt qui multiplicat ſibi pignora chara quotannis,
  Et luget, Natos dum premit atra Fames:
Eſt qui crudeli morbo ſine fine laborat,
  Neve miſer ceſſat tempus in omne queri:
Eſt qui torquetur chiragra, podagraque, nec umquã
  Spectatur lachrymis impoſuiſſe modum;
Eſt qui divitiis refluit, faſtuque ſuperbit;
  Infelix tamen eſt, dum ſibi plura cupit:
Militiis alii fortes, ſceptroque potentes
  Oppida, Regna, Arces ſub ditione premunt:
Sed cruciant mentem vicina pericula, & Hoſtes,
  Ortaque finitimis bella timenda locis:
Per Mare Sors aliis auget cum Nomine cenſus,
  Sed pereunt medio in gurgite ſæpe Rates:
Phyllidis amplexus aliis ſolatia præbent,
  Sed ferit interdum Sica cruenta latus:
De rapto vivunt alii, furtoque triumphant,
  Sed laqueus ſpondet, quam meruere, Necem:
Ille unus felix reputatur, & eſſe beatus.
  Qui de corde Deum dum colit, intùs habet.

Sa-

Sacri Regii Conſilii Præſidenti filius adnaſcitur. 32.

PHæbe, Poetarum Numen, Pindique Voluptas,
Cujus ab Arbitrio ſtatque, caditque Melos:
Deſere tantiſper Parnaſſi nobile Culmen,
Atque Aganippæi deſere Fontis Aquas;
Sebethi ad Ripas, placidi Cratheris ad Actam
Admoveas greſſu corda beante pedes;
Sint tecum Vates omnes, Muſæque Sorores,
Theſpiadumque Agmen, Mæonidumq; Chorus;
Accedat Lucina comes, Cytherea, Cupido,
Gratia cum Riſu, cumque Lepore Jocus;
Parthenope in medio aſſurgat ditiſſima cultu
Imperioſa oculis, delicioſa genis:
Cælicolis referat Grates, & Carmina dicat
Carmina laudari digna, diùque coli;
Conſilii Lux prima, Fori ſuprema Poteſtas
Suſcepit chara è Conjuge progeniem;
O quæ ſtat ſpecies! o qui ſtat Spiritus Ori!
O quæ ſtant labiis inſita mella ſuis!
Talis erat Cicero, matris cùm fluxit ab Alvo;
Talis erat Socrates, cùm fuit ille Puer:
Concedant Olli felicia ſæcula Parcæ;
Nec Mors, nec Morbus membra tenella premat:
Vaticinor; firmis Annis properantibus, Infans
Vel Patrem æquabit, vel Patre major erit.

Ad Bythinnicum Geometram. 33.

UNdique vidiſti varios, Bythinnice, Montes,
Ut poſſes Vertex noſcere quantus erat:
Vidiſti

Vidiſti excelſas Alpes, tumidoſque Riphæos,
Parnaſſum, Atlantem, Caucaſeumque jugum;
Ætnam,Hęmũ,Pindum vidiſti,& culmina Olympi,
Carmelum, Lybanum, Pelion, & Rhodopem;
Alta quidem Moles eſt Montibus omnibus; at Tu
Altius excultæ Mentis Acumen habes.

AD LINUM. 34

Dum in Patria commoratur.

TU patriam,patrioſq; Lares,Line viſere gaudes,
Plenaque Floreni floribus Arva colis;
Finitimas ſylvas, atque aſpera ſaxa Faleſi
Sæpe vides, oculis ampla Theatra tuis:
Nunc Lepores agitas canibus, nunc vocibus Apros:
Nunc Volucres laqueis, Inſidiiſque capis:
Nunc recubas Umbras inter ſub tegmine Quercus:
Nunc juxtà Rivi prætereuntis Aquas;
O quot blanda ferunt dulces tibi gaudia Nymphæ!
O quot delicias ruſtica Turba parit!
Sed me Pierides lacerant Sirenis in Urbe,
Et torquet crebri triſte Laboris Opus:
Nulla Dies ſurgit duro ſine pondere Mentis;
Nunc lego;nunc meditor;nunc,Line,metra noto;
Ex Muſis veniet tandem mihi nobile Nomen,
Et tollet clarum Fama ſub Aſtra Genus:
Quique ſuis ſtudiis trahitur: me ſola Poeſis
Allicit, Ingenium concitat una meum:
Fecere egregios plures ſacra Metra Poetas,
Nec deerit Muſis Gloria parva meis.

S. NICOLAUS TOLENTINAS.

Quòd clarus prodigiis effulgeat 35.

Undique ſint plauſus, meritæ ſint undiq; laudes:
Quilibet Encomiis ferveat uſque ſuis;
Sacra Dies fulſit centum redimenda triumphis,
Vota, preces, lachrymas qua NICOLAUS habet:
Prodigiis fulget; ſat ſunt portenta per Orbem
Nota; ſat irradiat, qua potis ille, Fides:
Sæpe dedit Claudis greſſum, ſua lumina Cæcis;
Debilibus junxit, qui fuit ante Vigor:
Extinctos pariter media revocavit ab Urna;
Mors tantùm Robur vidit, & obſtupuit;
Ingentes Nimbos, tempeſtateſque nocentes
Sedavit, tenuit fulmina, fregit Aquas:
Cætera non poſſunt Epigrammate ſcribier; Ergò
Quod mea prætereunt Carmina, Fama canat:
Accurrat populus ſupplex, petat omnia ab Uno;
Omnia qui præſtet providus, Unus erit.

AD LUDOVICUM 36

Quòd diverſis ſtudiis trahamur.

O Generis, Ludovice, tui Lux maxima; Pallas
Cui mirum Ingenium, Conſiliumque dedit.
Divitias Fortuna tibi cumulavit, & auxit;
Præbuit & claræ Conditionis Avos;
Quod lumen Genitor cum ſanguine contulit, illud
Nobilibus Studiis grandius eſſe facis:
Aſtrologos inter ſapientior eſſe putaris;
Quæ latuere alios, pandis, & Aſtra ſapis:

Plu-

Plurima feciſti variis prognoſtica Regnis,
Irrita ab effectis neve fuere ſuis:
Nunc ſervas Helicem, nunc ſervas Sydera Tauri,
Nunc Aquilæ curſum, nuncque Bootis Iter:
Præſagis quandoque Luem, quãdoque Tumultum;
Quandoque & ſteriles jàm fore dicis Agros:
Telluris quandoque mones cum Turbine motum;
Quandoque ingentes vaticinaris Aquas;
Ingenio penetras fatum quodcumque futurum;
Neve tibi eſt Error, nec tibi vàna Fides;
Sector Ego tenues Muſas, lepidaſque Camænas;
Inferior meritis nec mihi Fama tuis:
Poſt ſeros Cineres Ambo vivemus in Urna:
Me plaudent Vates, Te tamen Aſtrologi.

HECTOR DE MARRA 37.

Emortuus,

Clotho, Atropos, Lacheſis mortalia Stamina filat;
Deniq; præſcripto in tempore quemq; necant:
Serius, aut citius veniet Mors omnibus, æquè
Neſcia Principibus parcere, & Agricolis:
En Hector clari Generis de ſanguine germen
Occubuit; Cinis eſt qui Decus Orbis erat:
Nec tituli juvere Olli, nec Stirpis Origo,
Nec Cor, nec mentis nobile Conſilium;
Lethæis tumulatus Aquis jacuiſſet, & Umbris,
Cognita poſt Cineres nec ſua Fama foret;
Carminibus noſtris decorare Antonius Urnam
Fecit, ut inferis debitus eſſet Honor:
Corpus obit, vivet Nomen ſpectabile in Oevum;
Invidia inſpiciet dum decus, ægra gemet:

Interiit Cæſar, Pyrrhus, Menelaus, Achilles;
Gloria fulgebit, dum Monumenta manent:
Æneæ, Priamoque Maro poſt funera Vitam
Contribuit Muſis, Carminibuſque dedit;
Verſibus in noſtris vivet clariſſimus Hector
Sidera quà ſurgunt lumine, quàque cadunt:
Heroum ſi Vita perit, ſtat Fama ſuperſtes;
Gloria vivificat quos Libitina necat.

AD PAULUM. 38.

Stantibus Bellis per totam Europam.

UNdique belligeris armis Mars omnia turbat;
Nec Requies populis, Paule, nec ulla Quies:
Abripiunt Oculis reſonantia Cornua ſomnos,
Offuſcant pariter tela vibrata Diem;
Per medios recubant extincta Cadavera campos,
Et cruor effuſus fluminis inſtar abit:
Ambitio tot damna parit, tot funera gignit,
Et fortes Reges ad fera bella movet;
Interea nos, Paule, preces mittamus Olympo,
Ut ceſſet toto motus in Orbe Furor;
Juppiter ætherei Regni ſuprema poteſtas
Europæ optato fœdere præſtet opem:
In Falces Clypeique graves mutentur & Enſes;
Et fiat quondam quæ fuit Haſta, Ligo:
Si Pax contingat, longum de Pace Poema
Efficiam; Pacem, quam rogo, Fata ferant.

AD

AD QUINCTUM 39

Ut Nuptias contrahat ad extinguendam Libidinem.

SÆpe tuos ſenſus prævertit, Quincte, Libido;
Sæpe tuos Animos commovet atra Venus;
Improba quò minuat tantas Laſcivia flammas,
Connubii ſacro fœdere junge fidem:
Lilla tuos thalamos optat, cui fulget Origo,
Et nitet antiqua nobilitate Genus:
Si ſpectes Vultum, vix altera pulchrior extat;
Si ſpectes mores, caſta Diana minùs:
Divitiis radiat; ſunt plura armenta per Agros,
Cuſtodit Tauros Mopſus, Eryllus Oves:
Colligit immenſas ſegetes, & dona Lyæi
Ex Arvis: Rerum Copia plena fluit:
Sollicita thalamos, lectumque adjunge jugalem,
Ut videas reliquos caſtior ire Dies:
Cùm lateri eſt Uxor, fruſtrà ſua tela Cupido
Vibrat, & alterius vix tibi flagrat Amor:
Conſiliis parere meis nè tædeat ergò,
Nam ſtudeo rebus conſuluiſſe tuis:
Ex teneris annis tenerè te ſemper amavi,
Uſque & in extremos ſemper amabo Rogos:
Non ſic præclarus Corydon dilexit Alexim;
Non ſic Alcides charus amavit Hylam;
Fac quòd, Quincte, rogo; nec dulcia gaudia differ:
Fervet ubi Conjux, fæda Libido gelat.

AD GAURUM 40.

Quòd poſt diverſas Urbes Germaniam meditetur.

SMyrna, Rhodos, Colophō, Salamin, Chios, Argos, (Athenæ
Fecerunt oculos obſtupuiſſe tuos:
Mantua, Parthenope, Sinueſſa, Trinacria, Roma
Fecerunt oculos obſtupuiſſe meos:
Ire aliò longæva vetat tibi, Gaure, Senectus;
Ire mihi ulteriùs firma Juventa jubet:
Auſtriaci cupio mox cernere Cæſaris Aulam,
Ut veniant Muſis præmia digna meis:
Fortunam tentare juvat, juvat ire per Urbes;
Concipiunt Vermes, ni moveantur, Aquæ:
Sæpe locus præſtat quæ commoda denegat alter;
Non omnis Tellus omnia poma parit;
Carolus ut rectos Homines extollit ad Aſtra,
Sic doctos pariter tollit ad Aſtra Viros.

AD LÆLIUM. 41.

De Lillo Venatore, cui bona Arma, non bona dexteritas in venando.

IN ſequitur Lillus canibus cervoſque, feraſque;
Per ſylvas olli caſta Diana placet: (gent;
Pulchra coma eſt equidem, Venabula pulchra reful-
Arma nitent, pariter fulget ab Arte Sclopus:
Non tamen eſt ictu dexter; cùm vulnera tentat,
Decipitur; nullas captat, habetque feras:

Om-

Omnia vana puto quoties Venatibus auſers
Conſilium mentis, Judiciumque rapis:
Non Venatorem faciunt Venabula, Læli,
Sed bona Dexteritas, Cura Laborque facit.

AD SABELLIUM. 42.

Quòd Honores non liberant è Sepulchro.

PRetextas, Trabeas, Phaleras, Romæque Curules
Et Decora obtineas omnia, quotquot erant;
Non poteris Clavum Mortis vitare, Sabelli;
Vi Fati fies Pulvis, & Umbra levis:
Verte oculos circum Fines, & Limina Mundi,
Inſpice quà Titan ſurgit, & ille cadit;
O quot ſupremos Dominos, Regeſque, Duceſque
Spectabis, poſitis faſtibus eſſe Nihil:
Vel Rex Pellæus periit, vel Cæſar obivit,
Quantumvis titulis clarus uterque foret:
Omnia labuntur celeri properantia fluxu;
Adveniet tandem cuique ſuprema Dies:
Eximit è tumulo nullum Libitina; Dynaſtas
Delicias inter, Divitiaſque premit: (norum?
Stemmata quid proſunt? Quid fulgida culmina Ho-
Quid tumidis baculis emicuiſſe juvat?
Innumeros famulos habeas Dominator in Aula,
Evitare potes fulmina neve Necis:
Intus habes Hoſtes, hi ſunt Elementa, Sabelli;
Inferias ſpondent, Interitumque ferent.

KALENDÆ MAII 43.

Ad gaudia invitant, ſpreta Turcarum Claſſe in mari.

MAjus adeſt, gaudere licet; Tuque Eminùs eſto
  Triſtities noſtro è pectore, Tuque Dolor;
Deſervit Taurum, Geminos Sol lumine inaurat,
  Et facit aſpectu fervidiore Dies;
Flore coronatur Tellus, & frondibus Arbor;
  Pro pullis Progne tecta, domoſque parat:
Neve ſtrepit Boreas, ſævis nec flatibus Eurus;
  Neve riget Glacies, neve Procella cadit:
Aſtra ſuper regnat felix cum Caſtore Pollux;
  Frenat uterque Imbres; frænat uterque Gelu:
Viſere nunc Tempus Campoſq;& prędia,& Agros,
  Frugiferoſque Hortos, frugiferumque ſolum:
Nũc juvat optatas Corpus proſternere ad Umbras,
  Rivus ubi refluit præterenntis Aquæ:
Hoc tamen efficiant Alii; mihi dicere Verſus
  Phœbus, & Aonides, Caſtalideſque jubent:
Thracia Luna tumet Ratibuſque, Armiſq; paratis,
  Extolitque ſuis Cornua plena minis.
Adriacos fluctus vexat, certamina poſcit,
  Chriſtiadumque Neces facta ſuperba ſitit:
Sed tantas furias deponat perfida, & iras;
  Ungue Aquilæ ſpondent funus, & ore Leo:

ADAM,

ADAM, ET ABEL 44.

Comparatur Pater afflictus cum filio extincto.

EXtinctum Vivus cùm vidit Adamus Abelem,
Extincto Vivus par, ſimiliſque fuit:
Mutus uterque ſilet, vultu palleſcit uterque,
Mortali abreptus friget uterque gelu:
Illius emanat mæſto de lumine fletus;
Iſtius è lacero Corpore ſanguis abit:
Incæpit tandem Natus Patris eſſe Magiſter,
Morte docet quòd vel debeat ipſe mori.

AD PONTICUM. 45.

Quòd Senex ab omnibus deſpiciatur.

DUM Ver in pulchro ſtabat tibi, Pontice, vultu,
Fæminei ſexus, Pontice, Plauſus eras:
Nunc Ætatis Hyems rapuit de Corpore flores,
Neve èſt qui ſpectet Teque, tuaſq; genas:
Pulchra puella Venus, puer eſt quoque fronte Cu-(pido;
Cùm prima eſt Ætas, fervet, & ardet Amor.

AD AMICUM. 46.

Allegoria inter Mundum, & Mare.

ESt Pelagus Mundus; Navis tua Vita; Labores
Sunt fluctus, Curæ Carbaſa, Temo Timor:

Vis ſine naufragio felix attingere Portum?
Sit Palinurus Amor, ſit Cynoſura Fides.

AD BYTHINNICUM. 47.
Quòd Crapulæ plura damna progenerent.

Pone gulæ fręnum; Bythinnice, Sobrius eſto:
Temperiem noſcat Bacchus, & alma Ceres:
Luxuriem Crapulæ generant: Vecordia ab illis
Naſcitur & Menti noxia,& Ingenio:
Ut Vapor è Terra aſſurgens rapit aurea Solis
Lumina, Conſilium Potus, & Eſca rapit.

AD POSTHUMUM. 48.
Quòd Anima Divitiis præferenda ſit.

Quid ne ſitis Aurũ? gẽmas quid quæris, & am-
Poſthume? quid cumulas divitioſus opes?(bis,
Cur im habeas Animę,ſunt cętera,Poſthume,pulvis;
Omnia deficiunt, attamen una manet.

AD LUCANUM
Quòd Humiditas Aeris Humanis Corporibus noxia ſit. 49.

Immodicos vibrat,Lucane, Dieſpiter Imbres,
Per medias refluit lapſa procella Vias;
Tecta premit Juno ſpiſſis uberrima Nimbis
Nec cohibet, dextrà quas jaculatur,Aquas:

Ae-

Aeris Effigies mortalia corpora perdit
Ad tantas pluvias humida facta nimis:
O ſedeat Titan ſemper gratiſſimus Orbi;
O niteat vultu fulgidiore Jubar.

PICTURA. 50.

Quòd Naturam æmuletur, & ſuperet.

EXprimit in telis miracula muta Poeſis,
Æmula Naturæ, quod facit illa, facit:
Bruta, Homines, Volucres, Piſces, Floreſque colorat,
Et quidquid pulchri Campus, & Hortus habet:
Quod fictum eſt, verum putas, & vivere credis,
Fallit Imaginibus lumina noſtra ſuis:
Quis non Parrhaſios? Quis non decantat Apelles?
Quis non encomiat nobile Zeuſis Opus?
Vivimus ad Tempus Naturæ Viribus Omnes;
Pictura æternos Nos tamen Arte facit.

IGNIS. 51.

Quòd Symbolum ſit Avaritiæ.

SOlis ab ardenti vultu Prometheus Ignem
Abſtulit, & ſtatuit primus in Orbe faces:
Poſtea per Terræ duxit ſe flamma meatus,
Et nunc in variis æſtuat aucta locis:
Quis furias Ætnæ neſcit, Rabiemque Veſævi?
Quos populos ſemper fervida Phlægra latet?
Uſque furit, fremit uſque ſuo Vulcanus in antro,
Nec Pax eſt Olli, neve ſopita Quies:
Ignis Avaritiæ Effigies: nihil explet Utrumque;
Optat Avarities Omnia, Flamma vorat.

PRO B. PETRO DE PISA. 52.

Quòd Aſpera juvent, Dulcia noceant.

MUndus habet ſecũ fulgẽtia Culmina Honorũ,
Purpureas Chlamydas, laurigeraſque Togas;
Mundus habet ſecum Tituloſq; & Prædia, & Aurũ,
Attalicas Cænas, Cæſareaſque Dapes:
His tamen excruciat potiùs quàm Gaudia gignit,
Sub blando Rerum Cortice fella tegit:
Mundus habet ſecum Suſpiria, Vulnera, Spinas,
Cumque Siti rigidam, perpetuamque famem:
Mundus habet ſecum poſitas per mẽbra Cathenas,
Pauperiem, Gemitus, Jurgia, Probra, Cruces;
His tamen, his Homines tollit ſuper Ætheris Arces,
Atque facit Superis, Numinibuſque pares:
Sub cæcis tenebris cæleſtia lumina celat;
Dulce ſub horrifico tegmine Nectar habet:
Hoc probat egregio natus de ſanguine Petrus,
Laus Patriæ, Romæ Gloria, Lux Equitum:
Regales faſces inter nutritus in Aula
Spectabat Sortis fulgidioris opes,
Nec Tituli deerant, deerãt nec Stemmata; quidquid
Corda beat pleno Gurgite, Fata dabant:
Pro Cælo, pro Anima tamen omnia ſprevit, & odit,
O factum dignum Relligione coli!
Magnificas Ædes vili mutavit Eremo;
Cùm poſſet Dives vivere, vixit Inops:
Præſtabant potum lachrymæ; Convivia fletus;
Præſtabant ſomnum Cura, Laborque vigil:
Triſte ſolum Lectus, Paupertas ampla ſupellex,
Parva ſpecus Petro Regia, & Aula fuit:

Nunc

Nunc felix inter Superos, & Numina fulget;
Sub pedibus Victor cuncta Elementa premit:
Thura illi fumant, ſurgunt Altaria, & Orbis
Dona offert, ſolvit Vota, preceſque dicat:
Diſcite ab Exemplo; Mundi contemnite faſtum;
Proſperiora nocent, Aſperiora juvant.

AD MARIANUM. 53.

Quòd mutata Domo non mutaverit Mores.

DUm Tibi certa Domus ſtabat propè limina (Jani,
Luxuriæ fœdo in Gurgite merſus eras:
Flagitium quodcunque Venus, quodcunq; Cupido
Dictabat, Genio perficiente ſcelus;
Conſpicuum Tectum fuerat tibi turpe Lupanar,
Et Thalamus Vitiis ampla Cloaca tuis:
Nunc habitas, Mariane, ſacras propè Palladis Ædes;
Plectere ubi gaudent publica Jura Reos:
Improbior tamen es, longè vitioſior extas;
Mutaſti tectum, non tamen Ingenium.

PRO NUPTIIS. 54.

Inter Paulinum, & Afram.

PIerides, mecum date dulcia Gaudia cantu;
Hinc animet Gytharas Dextera, & inde Lyras;
Optatos thalamos jungunt Paulinus, & Afra;
Iſta genis pulchris fulgurat, ille Fide:
Utrique eſt equidem Generis civilis Origo;
Utrique humano in pectore fervet Amor
Sit procul è charis ſemper Diſcordia Sponſis,
Cum Rixis Luctus, Mæror, & atra Lues.
Aſſociet feſtivus Hymen, Lucinaque Utrumque;
Sit pharetratus Amor, ſit Cytherea comes:

Pro-

Prole gravis tumeat præſcripto in tempore Veter,
Et videat felix pignora plura Domus:
Interea vivant, vivant Paulinus, & Afra;
Sint Noctes hilares, nec ſine pace Dies.

AD PAULUM. 55.

Quòd felicitatem ſuis conſiliis debeat.

AUxiſti Titulos,& fulgida Stemmata Avorum;
Auxiſti gemmas, divitiaſque Domus:
Auxiſti pecudes, Tauroſque, Boveſque,Sueſque;
Auxiſti ſegetes, quas tibi reddit Ager:
Auxiſti Aurigas, famulos, lepidoſque Comædos;
Auxiſti pariter non ſine laude Coquos;
Non hæc Fortunæ debes, nec gratus Amicis;
Conſiliis debes omnia, Paule, tuis.

Inferni Deſcriptio. 56.

SEpoſitus Locus eſt altæ Telluris in imo,
Infernum dicit Vulgus, eumque vocat:
Pœnarum hìc facies ômnes, omneſque malorum
Sunt ſpecies; habitant Terror, & uſque Dolor:
Committit quicumq;ſcelus, nec pœnitet umquã,
Hic Reus in Stygias cogitur ire Domos:
O quales Gemitus reſonant, noctùque, diùque!
O quales fletus fluminis inſtar eunt!
Exurgunt flammæ, ſed non conſumere poſſunt;
Quotidiè Mors eſt, nec tamen ullus obit.

S.Mi-

S. MICHAEL ARCHANGELUS Quòd ſit glorioſior poſtquam Luciferum domuit. 57.

LUcifer æthereas collegit ad Arma phalanges,
Et movit Domino perfida Bella Deo.
Currit ad hæc Michael Zelo munitus, & Armis,
Fulmineoque Hoſtis contudit Enſe minas:
Luciferi miſeras turmas projecit in Orcum,
Perque manus poſuit Vincula, perque pedes:
Victor iò vivat, clamarunt Agmina Olympi,
Qui Victus cecidit, tempus in omne gemat:
Vox eadem ſonuit per Sidera, flumina, Montes,
Perque Solum pleno murmure, perque Salum:
Victor iò vivat, dixerunt ultima Mundi
Limina; Qui cecidit, tempus in omne gemat:
Poſt tantum facinus Michaelis Gloria major;
Hoc niſi feciſſet, jam foret illa minor.

AD PAULINUM. 58.
De libro nuper luci edito.

INgentem Codicem prælo, Pauline dediſti,
Servat ubi Juris florida Pallas opes;
Quique ſtupet ſolidæ fulgentia lumina Mentis,
Ingenii Robur, Conſiliique Jubar;
Inſpicio quoties methodum, formáſque loquendi,
Crederis in chartis Tullius eſſe tuis:
Aurea perſpicuos aperit Facundia ſenſus,
Nec ſtylus in dictis cultior eſſe poteſt:
Iſocrates minor eſt; minor eſt, Pauline, Lycurgus,
Neve ſalis tantum Papinianus habet:
Juppiter in Terris ſi Jus exponere vellet,
Nec foret in Verbis Gratia tanta ſuis:

Curia noſtra minus noſcit, Romæque Senatus,
Integra nec tantùm Bibliotheca ſapit;
Ut bene cognoſcam poſthac ſacra dogmata legum,
Hunc unum ſatis eſt jam mihi noſſe Librum.

AD MACRINUM. 59.

Quòd Stultitia ſit ſibi vitam brevem efficere.

Corroſas fauces torquet tibi tabida Peſtis,
Perque tuos vultus ſerpit utrinque Lues:
Admonuit Medicus, biberes ne dona Lyei,
Nec tua cum Scortis Vita, Macrine, foret:
Tu Medico parere negas; fortiſſima potas
Cæcuba, & in thalamis pulchra Corinna jacet:
Heu, Macrine, cupis fatale ſubire ſepulchrum,
Et paucos optas annumerare dies:
Sume tibi gelidos puris è fontibus hauſtus;
Diſpliceat poſthac luxurioſa Venus:
Longævos annos vives, & luſtra videbis
Plurima, adumbrabit cana Senecta comas:
Abbreviat Quicunque ſibi ſua ſtamina Vitæ,
Ille mihi ſtultus creditur, aut fatuus.

AD PAULUM. 60.

Quòd Cultura Hortos fertiles reddat.

Cinna Suburbanos Hortos tibi, Paule, reliquit,
Nunc illos aliis vendere, Paule, cupis:
Nullus emet, quoniā ſteriles ſunt tempore in omni;
Carduus, & tribulus replet ubique ſolum:

Ut

Ut ſint in pretio, duro ſæpe excole Aratro;
Quos fructus numquam, Paule, dedere, dabunt.

AD FABIANUM. 61.

Quòd Divitiæ Animi, & non Corporis cupiendæ ſint.

Divitiæ decorant Homines, formamq; genuſque
Contribuunt; tollunt celſa ſub Aſtra Domos;
Divitiæ Titulos augent, dant culmina Honorum;
Prætextas addunt, &, Fabiane, Togas;
Quiſquis Pauperie premitur, nihil ambiat umquam,
Omnia pauperibus Fata maligna negant:
Divitias Animi cura, non Corporis; illas
Sors tibi non aufert, has rapuiſſe poteſt.

AD TULLIUM

Vaticinium contra Turcas. 62.

HÆc eſt conditio Lunæ, nunc plena coruſcat;
Nunc parvū parvo in Corpore lumen habet:
Non eadem, atq; eadem vultum nō ſervat eundem
Semper in aſpectu, ſemper in Orbe levis:
Ex hoc quæ faciam Venetis progroſtica Regnis
Cùm paret innumeras Luna ſuperba Rates?
Gaudendum eſt, Tulli, Cælo auſpice, Luna peribit,
Sentiet Ecclypſim Lux ſua, fracta cadet:
Arcus erit Marcus, qui tela ſonantia vibret,
Thracibus elatum perdere certa caput:
Ex Aquilis Aquilo inſurget, qui turbine moto
Navibus extremum conferet Excidium.

AD

AD LÆLIUM. 63.

Ut abſtineat Vino, cùm Luxuriem excitet.

EſSt Vinum Bácchi munus, donumque Lyæi;
Invenit Bacchus pocula plena mero:
Potabant lymphas, Acheloja dona, per Orbem
Mortales; fuerat Gentibus uſus Aquæ:
Nectareas reperit, felix Dionyſius Uvas,
Ut poſſet Vino diminuiſſe ſitim:
Abſtineas vino, Læli; bibe fluminis hauſtus;
Effluit è Vino pernicioſa Venus.

AD PAULUM. 64.

Quòd amet Poetam propter Poeſim.

ME quoties ſpectas rides, & Paule, jocaris;
Fulgurat ex Oculis Lux tibi multa tuis:
Præſi ferunt teneros tua dulcia Verba lepores,
Blanditiis refluunt, deliciiſque madent:
Dextra capit dextram; dictis ſuſpiria miſces,
Nec vis implicitas deſeruiſſe manus:
Tu Cæſar cordis mea pars dulciſſima, dicis;
Tu fax ingenii, Deliciumque mei:
Non eſt Luxuries; non eſt hæc, Paule, Libido,
Sed propter Muſas me vehementer amas.

AD

AD VIRGINEM DEIPARAM Ut auxilium afferat inter Mundi fluctuationes. 65.

ALma Parens,ſpes chara Hominum,cui contigit (uni
Lactentem vultu progenuiſſe Deum:
Caſta puerpureis, felix, intactaque in Alvo
Mater es, & ſpolium Virginitatis habes;
In Te tota Charis vernat; nec Criminis Umbra
Ulla fuit; Divus fulget, & ardet Amor:
In Te ſancta Fides, puroque in pectore Candor,
Cumque Pudore Decor, cumque Decore Pudor:
Te precor, & ſupplex votis ferventibus oro,
Auxiliis præſens me tueare tuis:
Hic Mundus Pelagus, latrant ubi mille Charybdes,
Et fremit undivomo Vortice Scylla rapax:
Per tumidos fluctus fertur mea parva Phaſelus,
Nunc rigidos Euros, nunc timet illa Notos:
Nunc Hyemẽ,Noctemq,horret, nũc Turbinis Iras,
Nunc ſpectat tergis funus abeſſe parùm;
Te Duce,nec tumulum,nec triſtia Monſtra timebit;
Tu ſias Velis Portus, & Aura ſuis.

AD POSTHUMUM. 66.
Quòd eum diligo propter Egregiam Poeſim.

SIc te fidus amo quòd plus,vix,Poſthume,poſſum;
In medio Cordis ſtat mihi Imago tui:
Sic ſapis Aonidas; ſic calles, Poſthume, Phæbum,
Quod nequeo teneros æquiparaſſe Modos;

Et

Et lego, & obſervo quot carmina, Poſthume, ſcribis
Nec poſſum ſenſus, nec tua Verba ſequi:
Sub Veneris natus mihi, Poſthume, crederis Aſtro;
Illa dedit Muſis dulcia mella tuis.

AD HARPALUM. 67.

Quòd tunc Superior optimus, cùm præmiat Bonos, & plectit Malos.

CArolus Auſtriaci lux inclyta Sanguinis Orbem
Flectere Conſiliis, Imperiiſque meret;
Virtutes auget, dum dulcia præmia præbet;
Crimina corde odit, dum premit uſque ſcelus:
Tunc Rex, tunc Princeps, tunc optimus, Harpale,
Cùm juvat ille Bonis, cū nocet ille Reis. (Cæſar,

AD EUNUM. 68

Quòd levibus Viris non ſervanda ſit Fides.

ME Dominum dicis quoties mea Carmina po- (ſcis,
Et ſpondes lautas prodigus, Eune, dapes:
Sed poſtquam tribui, nec vis me noſcere ſervum;
Nec das, quam cupio, fontis euntis Aquam:
Quid faciam poſthac, ne me contemnere poſſis?
Carmina promittam, nec tamen, Eune, dabo.

AD

AD CELANUM. 69.

Quòd Mores cum Nomine congruant oportet.

EX Cælo, Celane habeas cùm nobile Nomen;
Ex Cæno Mores cur maleſanus habes?
Caſtior evadas poſthac, ſis juſtior Actis;
Qui miſerum capiat te ſecus, Orcus erit.

AD SABELLIUM. 70.

Quòd Laudes *æternam Vitam conferant Extinctis.*

TEque, tuumque genus laudavi ſæpe, Sabelli;
Nec potui Mores conticuiſſe tuos:
Mox te Fata prement, quoniã tibi longa Senectus,
Et fies parvus pulvis, & Umbra levis:
Nec doleas, vivet felix tua Fama ſuperſtes;
In libris poterit non periiſſe meis.

AD SEMPRONIUM 71.

Quòd Robertus Rex tempore Belli, & Pacis fuerit laudabilis.

HIc eſt, Semproni, Quis Rex? Quis maximus Heros?
Sub rigida ignotus Caſſide calcat Equum;
Ro-

Robertus, noſcas, hic eſt circumdatus Armis,
Ut tumidos Hoſtes terreat, arma gerit:
Et belli, & Pacis tempus cum nomine rexit;
Maximus in Caſtris, maximus ille Domi:
Prælia cùm geſſit, populus Martem eſſe putavit;
Cùm ſtatuit leges, credidit eſſe Numam.

AD CÆCILIANUM. 72.

Quòd Vetera malè Recentia exiſtimet.

CArmina, quæ recitas, jactant ſibi Neſtoris annos,
Et Pylii longos, Cæciliane, dies:
Barba illis prolixa riget, mentoque Senectus;
Viderunt Priamum forſan, & Andromacham:
Sed nova Tu dicis, partu nunc nata recenti;
Lactentem Puerum Deucaliona facis.

AD PAULUM. 73.

Quòd effugienda ſit Aula Principum.

SI Pius, aùt literis Cultus ſis, effuge ab Aula;
Nam literis Cultos odit, & Aula Pios:
Sis Leno, ſis Scurra levis, ſis, Paule, Cinædus,
Laudabit Mores protinus Aula tuos:
Aula Altrix Vitii, Virtutis creditur Hoſtis:
Quod libet, illa facit; Quod licet, illa fugit.

AD TRISTANUM. 74.

Quòd Etruſcas Muſas colat, cùm ſequar Ego latinas.

TE reverenter amo, quoniam me ſemper amaſti,
Triſtane, Ingenii maxima Cura mei:
Sæpe dedit tua menſa dapes, & pocula Muſis,
Ut metra cum Baccho fervidiora forent:
Sæpe propinavi vultu rubicundus Amico;
Sæpe tibi dixi carmine, Vive ſenex:
Thuſcia te ducit per florida culmina Pindi;
Miſcet & Aonidum, Mæonidumque Choro;
Me Latium Vatem fecit: Capitolia plaudunt
Quos me, quos verſus prompta Thalia docet:
Protrahat ambobus felicia ſtamina Clotho,
Ut Tu ſis magnus Nomine, major Ego.

AD CASTRICUM. 75.

Quòd inter pares contrahendæ ſint Nuptiæ.

NEc pauper Conjux, nec ſit tibi, Caſtrice, dives:
Ingentes lites ſemper utrumque parit:
Uxorem duxiſſe parem ſors ſumma putatur,
Tunc Nox nec ſentit Jurgia, neve Dies:
Cùm dormire cupis, dormis; cùm ſurgere, ſurgis;
Conturbat mentem nulla querela tuam.

AD

AD AURELIUM. 76.

Cui ſubmittit verſus, ut eos corrigat.

SCribimus, Aureli, tenues, parvoſque libellos,
Quos calamo inſinuat Phæbus, & alma Venus:
Luminibus, radiiſque tuis ſubmittimus illos;
Quæ bona ſunt, noſcis; quæ mala metra, ſapis:
Quotquot habet Pallas Charites, tibi præbuit uni;
Quotquot habet Pindus, dat tibi promptus opes:
Occurrit ſi fortè aliquid, quod diſplicet, illud
Corrige, & emendet juſta litura Jocos:
Grande quidem Decus eſt Vates adſcribier inter;
Grandius ex Muſis diſplicuiſſe nihil.

AD BYTHINNICUM. 77.

Ut muſas colat ad Nominis Immortalitatem.

FÆcundi Ingenii ſpecimen, Bythinnice, præbes;
Excole quod menti nobile lumen ineſt:
Mæonides veteres inter, Vateſque recentes
Evades felix Gloria, primus Honor:
Nomen ad Occiduos populos, atque ibit Eoos;
Et plauſu implebit Regna, quot Orbis habet:
Et Patri, & Patriæ charus, Bythinnice, fies;
Poſtque leves cineres Fama ſuperſtes erit.

AR=

ARGUTÆ VIRILITATIS EXERCITAMENTA, Seu EPIGRAMMATON *LIBER II.*

Ad Theophilum *EPIGRAMMA.* 1.

QUi Te cunq; videt; quicumq; Theophile, noſcit;
Elogiis decorat, plaudit & Encomiis:
Natura, & Virtus ſociata refulget in uno;
Pulcher es aſpectu, pulchrior ingenio.

Ad Marianum. 2.

ARs te Cauponem fecit, Natura Caponem;
Connubium ſpernit fœmina quæque tuum:
Vis, Mariane, tamen? quæris vehementer amari?
Eſſe velis Caupo, non tamen eſſe Capo.

Regimen Populorum. 3.

SUbjectos Quicunque regit, populoſque gubernat;
Sit prudens, opus eſt; quodque agit, æquus agat:
Nunc mitis parcat, rigidus nunc ſæviat; Orbem
Non ſemper feriunt Fulmina dira Jovis.

Neapolis. 4.

Partenope & Cerere, & Baccho dit ita triumphat;
Hæc duo cum plauſu Numina fauſta colit.

Ad Lælium. 5.

Paupertas Homines reddit contenta beatos;
Sis pauper, Læli; Sorte beatus eris.

Amicus ad Angelam. 6.

Dum ſpectas alios, me ſauciat, Angela, Telum;
Suſpicio eſt telum, nobile vulnus Amor.

Amaſius ad Paulam. 7.

Jungit Amor thalamos, cauſat divortia Frater;
Quod mihi Mens offert; Sors tibi, Paula, rapit.

Zelotypia. 8.

Exagitant noſtram diverſa Pathemata mentem,
Una tamen majus Zelotypia malum.

Ad Horatium Scopulum. 9.

Dat tibi conſpicuum Scopulus cognomen, Horati;
Non obſtat Scopulus, Carmina noſtra volant.

Ad Amicum. 10.

Ante oculos fixus tibi ſit venerandus Jeſus;
Sic felix fuerit, quodque patrabis, opus.

Lex

Lex. 11.

Lex Lyra Regnorum, cùm conſonat optima Juſſis,
Tunc parit armonicòs non ſine laude ſonos.

S. Petrus Martyr. 12.

Par Petro Petrus eſt; fortis contrà Hæreſis auſus;
Sanguine confirmat, quam docet ore, Fidem.

Pro eodem. 13.

Quid noſcis? Patruus dixit; Petrus addidit olli,
Noſco Fidem, fidei lumine noſco Deum.

Dilectio. 14.

Diligite alterutrum, quoniam ſuper Ætheris Arces
Nos miſeros Homines non niſi tollit Amor.

Virginis effigies. 15.

Hæc Virgo eſt Clypeus, qui Nos defendit ab Orco;
Sparge preces ſupplex; quod cupis, illa dabit.

Lex. 16.

Oceanus Lex eſt ſcripto ſine limite rerum;
Plurima qui credit noſcere, pauca ſapit.

Ad Amicum. 17.

I, quæras gelidos Montes, ſic fervida Febris
Deſinet; extinguet Nixque, Geluque faces.

Ad Ponticum. 18.

Hæreticis numquam credis: te, Pontice, laudo;
Relligio ſæpe eſt non habuiſſe Fidem.

Ad Bythinnicum. 19.

Cordis habes multum, ſed nil Bythinnice, frontis;
Multa audes, optas plurima, nulla times.

Bonum Nomen. 20.

Divitias omnes ſuperat ſpectabile Nomen;
Ut juvat eſſe bonus, ſic nocet eſſe malus.

Ad Turcas Superbientes. 21.

Thracia Luna, time; tumido quid corde ſuperbis?
Hinc Aquilæ ſpondent funus, & inde Leo.

Supra quatuor libros Inſtitutionum Canonicarum. 22.

Pontificum Leges, præceptaque noſſe requiris?
Hos quatuor Libros Nocte, Dieque legas.

Africa. 23.

Africa terrifica eſt plus partibus omnibus Orbis;
Una tamen Ratio eſt; horrida Monſtra parit.

Europa. 24.

Europa eſt Altrix Cereris, Bacchi optima Mater;
Huc venias, cenſu divite dives eris.

P.1-

Patientia. 25.

Diminuit noſtros Patientia ſola Dolores;
Unica fit gravibus grata Medela Malis.

Navis imperfecta. 26.

Arte Faber Navim nondum perfecit, at illam
Perficiet, quoniam ſic ſibi poſcit Opus.

Ad Amicum. 27.

Ut prudenter agas, peragas quod noſcis; ab illo
Dependet vitæ nobilioris Honor.

Lilla. 28.

Uincere ſperabat uultu Lilla inclyta cauſam,
Perdidit; ex Meritis judicat alma Themis.

Piſcis. 29.

Sæpe perit Piſcis tenui deceptus ab Hamo;
Sobrius eſto igitur, nam necat Eſca Gulam.

Ad Amicum. 30.

Cera comes Mellis; celebramus funera Ceris;
Cùm Mel dat Mundus, tunc propè funus habes.

Cælum ſerenum, & fulminans. 31.

Dum Cælum ridet, ſua fulmina Juppiter effert;
Cùm Fortuna tibi proſpera, tunc timeas.

Ad Amicum tempore pluviæ. 32.

Nocte, dieque pluit, magnus nec deſinit Imber:
Adde tuas lachrymas, eminùs Imber erit.

De Mario. 33.

Ibo foris, dixit Marius; Mens verba fefellit;
Dicere cum Tucca debuit, Ibo foràs.

Sol in Speculo. 34.

Si Sol percutiat Speculum, portenta videmus,
Fortior ex vitreo fit ſua flamma Gelu.

Mors. 35.

Omnia Mors finit; Mors Omnia fulmine perdit.
Diſce timere NIMIS; Diſce tumere PARUM.

Ad Bythinnicam. 36.

In te Naturam ſuperat, Bythinnice, Virtus,
Nam puer, Ingenio crederis eſſe ſenex.

Chriſti Reſurrectio. 37.

Interiit Chriſtus, nunc hic conſurgit ab Urna;
Mortem, Hoſtes, Erebum ſub pede Victor habet.

Ad Adoleſcentem. 38.

Te Patruus vehementer amat, parat omnia egenti;
N[illegible] Patruus, potiùs creditur eſſe Pater.

Ad

Ad Sabellium. 39.

Pingue tibi Corpus, ſunt pinguia membra, Sabelli;
Macra tamen Mens eſt, macrius ingenium.

Ad Paulinum. 40.

Pax populis prodeſſe parùm, Pauline, putatur;
Pernicies Regni eſt publica Pigrities.

Cælum. 41.

Alta Dei Sedes Cælum eſt, & Regia felix;
Quod juvat, inde venit; quod beat, inde fluit.

Sol lucidus die Veneris menſe Martii. 42.

Sol hilaris uuſtu eſt, patitur dum funera Chriſtus;
Gaudendum eſt, Nobis Mors ſua Vita fuit.

Ad Lælium. 43.

Crimina patraſti, mæres: geme Crimina, Læli;
De lachrymis ortus ſic tibi Riſus erit.

De Macrino. 44.

Urinam quoniam tenuit, Macrinus obivit:
Sæpe Humor clauſis ſæva venena parit.

Ad Laurentium Venatorem. 45.

Dat tibi, Laurenti, nomen ſpectabile Laurus;
Venaris Veneres, fœmina Laurus erat.

Medicina. 46.

Expellit Medicina tuo de corpore Morbos;
Cùm Medicina deeſt, tunc tua Vita perit.

Ad Joannem. 47.

Te reor eſſe Aquilam, Nomen probat, indicat, effert,
Ingenium firmat, dum ſuper Aſtra volat.

Ad Ollum. 48.

Quid vigilas? quid noƈte ſtudes? quid ſæpe laboras?
Forma tibi pulchra eſt, jam ſatis, Olle, ſapis.

Rhetorica. 49.

Rhetorica humani cordis Regina putatur;
Affeƈtus Animi fleƈtit, & Arte regit.

Imago Joſephi Uallettæ: 50.

Hic Joſeph, cognomen erat cui parvula Vallis;
In Valle hac doƈtæ Palladis Imber erat.

Ad Adoleſcentem. 51.

Teſſa dedit Patriam, cognomen nobile Cardo;
Non Cardo, ſed Flos præbuit Ingenium.

Quidam de Domo ſua. 52.

Jure Domum poſui viridi ſuper Arbore in alto;
Pro Cælo fruƈtus qualiter Arbor agam.

Ad

Ad Amicos. 53.

Vos Maris è Caſtro blandæ Sirenis in Urbem
Veniſtis; Cœlum hoc gaudia mille dabit.

Ad Angelum Nuncium Apoſtolicum. 54.

Pontificis cum laude vices, & Jura miniſtras;
Angelus es merito Nomine, & Officio.

Ad Harpalum. 55.

Omnia præſumis, nihil efficis, Harpale; plauſu;
Vel præſume nihil, vel bene fac quod agis.

S. Januarius inter feras. 56.

Noxia Monſtra aliis non ſunt mihi noxia; poſthac
Nec Bellum poterit, nec nocuiſſe Lues.

S. Januarius inter flammas. 57.

Me propè flamma vorax neſcit conſumere; nempè
Quodque Malum, Duce me, deſinit eſſe Malum.

S. Januarius decollatus. 58.

Vita cadat, totus refluat de Corpore Sanguis;
Sanguis erit Chriſti Spes mihi, Vita Fides.

Ad Paulum Centomanum. 59.

Sunt centum tibi, Paule, manus; nil providus offers;
Sed quidquid ſpectant Lumina, dextra rapit.

Ad Linum. 60.

Pauper es,& claudus,langues quoque viribus æger;
Mendicare haud pigeat, ſic, Line, habebis Opes.

Mors. 61.

Conſpicuos titulos diſcas contemnere,& aurum;
Cùm Mors diripiet, tunc patiere minùs.

Chriſtus Puer. 62.

Ore Puer Chriſtus ; Superùm ſtat Gloria vultu;
E'teneris labiis dulcia mella fluunt.

Jejunium. 63.

Ut Mentem exacuas, ſerva Jejunia ; namque
Ingenio ſenſim lumina mille ferunt.

Sobrietas. 64.

Æthereas ſi fortè cupis conſcendere Sedes,
Sobrius ediſcas continuiſſe Gulam.

Ad Eunum. 65.

Conſpicuàm Menſam verè Sapientibus offert
Panis,& hauſtus Aquæ,cum quibus,Eune,Quies.

Veritas. 66.

Lumina quò vertis, fulget ſpectabile Verum.
Nec fugiſſe uſquàm, nec latuiſſe poteſt.

Ad

Ad Amicum. 67.

Naſcimur, & natis primas dat Patria Cunas.
In Patria gratum eſt vivere, dulce mori.

Mori extra Patriam. 68.

Si Locus externus nobis det triſte ſepulchrum,
Tunc equidem duplici funere bis morimur.

Vir fortis. 69.

Fortis ubique habitet; nec ſat ſit Patria Forti;
Sic quæcumque optat commoda, Fortis habet.

Innocentes. 70.

Protegit Innocuos Numen venerabile ab alto;
Diſſoluit laqueos, quos mala Fata parant.

De ſe. 71.

Ægyptum evaſi, Grates do gratus Olympo;
Heu poteram varias labier in foveas.

Infernus. 72.

Flāma, Gelu, Fætor, Gemitus, Dolor, Horror, in Orco
Lux ſine luce adſtat; Mors ſine Morte riget.

Supra puteum in Horto. 73.

Hic tibi ſunt lymphæ: poma ambis dulcia ab Horto?
Extende ulteriùs, quod pede carpis, iter.

Ad Ponticum. 74.

Peccatum ſequitur ſemper, cùm, Pontice, peccas,
Cumque Pudore Timor, cumque Timore Pudor.

Ad Fabianum. 75.

Quod fugis,eſt prõptũ;procul eſtquod quæris,& ãbis;
Oppoſita eſt Votis Sors, Fabiane, tuis.

Ad Bythinnicum. 76.

Sæpe quod expectas, Bythinnice, Fata morantur;
Quod Spes promittit, Sorſque, Locuſque negant.

Paſſio Chriſti. 77.

Vulnera,Crux,Clavi,Spinæ,Fel,Spongia,Acetum,
Hæc miſerum funus contribuere Deo.

Mors. 78.

Mors omnes perimit, parcit rigidiſſima nulli;
Naſcimur, & parvo in tempore Terra ſumus.

Fons ad Speculum. 79.

Ut ſis par lymphis purus, lucentior undis,
In Speculo hoc Mores conſpice ſæpe tuos.

De Libello. 80.

Quiſquis es,hunc volvas paruum,tenuemq; Libellũ;
Claudit enim, jactat quot ſibi Pallas, Opes.

Ad

Ad Bythinnicum. 81.

Vita Hominum nihil eſt, quoniam, Bythinnice, ſæpe
Ex Utero Matris labimur in tumulum:

Ad Peccatorem. 82.

Peccator, fidas; ſalvat te recta Voluntas;
Theſauros Superùm cùm cupis, intùs habes.

Tempeſtas poſt motum Terræ. 83.

Poſt Terræ motum de Cælo decidit Imber;
Si tremis, es ſalvus; ſi gemis, incolumis.

Tempora Sacra. 84.

Tempora ſacra fluunt, perverſos corrige Mores;
Dedecet immodicum tempora ſacra ſcelus.

Ad Amicos. 85.

Me circumſtatis, recitant dum Carmina Muſæ;
Vos eſtis Muſis pulchra Corona meis.

Ad Advenam. 86.

Parthenope pulchra eſt per Cõpita, Tẽpla, per Ædes;
Occidit Siren, nunc tamen illa beat.

De Lesbino, & Lesbia. 87.

Lesbinus vehementer amat, ſed Lesbia amatur;
Gaudia dum ſperant, toxica gignit Amor.

La-

Lamentationes hebdomadæ Majoris. 88.

Undique ſunt triſtes gemitus, triſteſque dolores;
Cur hoc? indigna Morte Redemptor obit.

Mulier ad Adoleſcentem. 89.

Deformem ſequeris, pulchram me ſpernis Amantem
Nec tibi Mens recta eſt, nec tibi rectus Amor.

Gratiarum Actio pro Doctoratu. 90.

Reddere non poſſum, quas reddere debeo, grates;
Quod dare non potuit Lingua, rependat Amor.

Ad Amicum. 91.

Contrahe Connubium, nihil eſt felicius illo;
Proxima cùm Conjux, tunc procul atra Venus.

Mulier pulchra. 92.

Una rapit multos, multos facit una beatos;
Sol eſt aſpectu, Lumina cuique parit.

Virgo Deipara cum Chriſto mortuo in ſinu. 93.

Virgo ſinu recipit Chriſtum de Capite ademptum;
Sic major pœnis addita pœna ſuis.

Reſurrectio Chriſti. 94.

Poſt rigidam Mortem Chriſtus de Morte reſurgit;
Sic Mortem Victor Morte necante necat.

Chri-

Chriſtus in Sepulchro. 95.

Cœlicolùm Rector jacet hac tumulatus in Urna;
Quiſne illi Mortem præbuit? unus Amor.

Ad Adoleſcentem. 96.

Te Carcer tenuit, nunc es de Carcere liber,
Sed malus es, rurſus mox tibi Carcer erit.

Ad Matthæum Muſicum. 97.

Vox, Matthæe, tibi eſt, quæ mellea tota putatur;
Nos trahit, atque ferit; Nos beat, atque necat.

Liberalitas. 98.

Principis eſt proprium dare munera plura libenter;
Cor magnum monſtrat libera facta Manus.

Amicus ad Amicum. 99.

Omnia lego tibi; Lacheſis ſic præcipit inſtans;
Da veniam dextræ, ſi tibi lego parum.

Munera movent. 100.

Si fortaſſe rogas quod proſit, munera præbe;
Ad dandum quod amas, munera quemque monent.

Ad Paulum. 101.

Omnibus eſt unum Votum, ſententia & una,
Nimirùm ſemper, Paule, quòd ebrius es.

Ad Bythinnicum. 102.

Si mala te cruciant, nimiàm, Bythinnice, gaude;
Nam Mala ſi deſint, ire ſub Aſtra nequis.

Ad Paulum. 103.

Cùm Fortuna tibi fauſta eſt, tunc, Paule, timeto;
Tunc magis illa nocet, cùm magis illa juvat.

Ad Sabellium. 104.

Innumeris eſt plena malis tua Vita, Sabelli;
Nec geme, ſi pateris; nec geme, ſi moreris.

Ad Bythinnicum. 105.

Quique ſuam ſufferre crucem, Bythinnice, debet;
Crux aperit certas Cuique ſub Aſtra fores.

Ad Ponticum. 106.

Quod juſtū eſt, laudas; celebras quod, Pontice, rectū;
Sed dic cur factis ſpernis utrumque tuis?

Sanguis Divi Januarii. 107.

Ante Caput Sanguis fervet, calet, emicat æſtu;
Hoc eſt prodigium, quod colat alma Fides.

Ad Martium Equitem. 108.

Nobilitas, Species, Virtus junguntur in uno;
Te Mars, ò Marti, creditur eſſe minor.

Lex

Lex. 109.

Lex Sceleri pœnas, Virtuti præbet Honores;
Eſt eadem Regnis Temo, Reiſque Timor.

Ad Maurum, 110.

Nomen habes Mauri, quia trux reputaris ab Actis;
Mille tibi fraudes, Quemque dolere facis.

Ad Lælium. 111.

Infelix pateris duplici ſub Numine, Læli;
Mars brachium, rapuit lumen utrumque Venus.

Ad Amicum. 112.

Nocte, dieque bibas ferventia pocula Bacchi;
Temporibus totis fortia vina juvant.

Ad Adoleſcentem. 113.

Omnia deſpicias, dumtaxat reſpice Olympum;
Gaudia, quæ durent, ſolus Olympus habet.

Ad Paulum. 114.

Probra audis, nec, Paule, rubes, nec lumine ploras;
Aut Animo fortis crederis, aut fatuus.

Ad Poſtumum. 115.

Nos bibimus Creta, pulchro, tu Poſthume, in auro;
Tutior eſt igitur, Poſthume noſtra Sitis.

Ad

Ad Eunum de Quinčto. 116.

Non eſt Orator Quinctus, ſed Garrulus, Eune;
Nam loquitur ſemper, non tamen eloquitur.

Divus Athanaſius. 117.

Hæreticos fregit ſcriptis Athanaſius omnes;
Vox fulgur, Calamus non niſi fulmen erat.

Leo Venetus. 118.

Et Libro, & Gladio Venetus Leo fulget; Utroque
Ille Auſus frangit, Thracia Luna, tuos.

Debitor. 119.

Jamque tenet magnum mea dulcia prædia Nomen;
Hic Boreas fructus flatibus uſque rapit.

Ad Curiales. 120.

Curia mutata eſt, Sortis mutetur Imago;
Præbeat immenſas prodiga ſemper Opes.

Græci. 121.

Longa Toga eſt Græcis, tangit pulcherrima talos;
Longa Toga eſt equidem; curta, breviſque Fides.

Sapientia Juvenem decet. 122.

Sit Juveni Temo Pallas, ſic tramite tuto
Per Mundi, vitiis eminùs, ibit Aquas.

Nea-

Neapolis. 123.

Omnigenas nutrit ſpecioſa Neapolis Artes;
Creditur antiquæ Palladis eſſe Genus.

S. Marina. 124.

Fæmina quæ fuerat, Maris induit oſque, genaſque,
Sic ſibi ſervavit Virginitatis Opes.

Ad Adoleſcentem. 125.

Eripuit Caſus dentem, dum juſſa parentis
Contemnis; ſceleri debita pæna fuit.

Ad Philippum. 126.

Nomine habes nomen, generoſe Philippe, Philippi;
Eſto igitur rectus, ſi fuit ille Pius.

Medicus ad Ægrotam. 127.

Langueo, dum langues; fervor conſumit Utrumque;
Atra tibi Febris, ſed mihi Morbus Amor.

S. Januarius. 128.

In phialis renovat Martyr portenta quotannis;
Vivit in auguſto Sanguine noſtra Fides.

De Eliſa. 129.

Ante oculos Riſum; Gemitum parit eminùs ore;
Sic Fibris Mors eſt, Vitaque Eliſa meis.

Ad

Ad Amicum. 130.

Si ſpectas, tibi fervet Amor; ſi fortè recedis,
Me laceras; anceps, nec tibi firma Fides.

Quid ſit Fæmina. 131.

Quid Mulier? Mundi Peſtis, crudele Venenum:
Quot mala nos patimur, Fæmina ſola parit.

Sanguis Divi Januarii. 132.

Adverſus Capiti Sanguis fervetque, caletque;
Ille riget quoties proxima Perfidia eſt.

Ad Ponticum. 133.

Quod Juſtũ eſt, laudas: celebras quod, Pontice, Rectũ,
Sed dic cur factis ſpernis Utrumque tuis?

Ibi lucrum ſit, ubi Onus. 134.

Gliſcit ubi pondus, debet quoque gliſcere lucrum;
Mel Aloem, laſſis Utile mulcet Onus.

Cantus, & Concio. 135.

Hinc Verba, hinc Cantus; trahimur ferventer Utriſq;
Hi recreant Aures Corporis, illa Animæ.

Deus. 136.

Omne Bonum Deus eſt, toto de pectore amandus;
Magna Deum eſt igitur ſpernere Stultitia.

Phi-

Philænis. 137.

Et Cantu, & Vultu nimis eſt formoſa Philænis;
Humanos Animos vivida Utroque ligat.

Supra Sepulchrum. 138.

Ne tumeas quiſquis ſpectas fatale Sepulchrum;
Seu Rex, ſeu Paſtor, te Libitina premet.

Adoleſcens ad Adoleſcentem. 139.

Pulcher es aſpectu; fulges ceu fulget Adonis;
Dum me forma rapit, me tua forma necat.

De Amicis. 140.

Heu Dolor! heu Fatū! Sors dividit improba Amicos
Separat illa Oculos; Corda, Animoſque ligat.

Chriſti Sepulchrum. 141.

Hic Chriſtus jacuit; de funere poſteà ad Aſtra,
Inclyta ceu Phænix, jam redivivus abit.

Ad Amicum. 142.

Rubra tibi facies, rubram fert dextera gemmam;
O rubrum faciat purpura rubra Caput.

Ad Paulum. 143.

Hernia, Paule, tibi morboſo è corpore pendet
Sors minuet Cenſus; Hernia major erit.

Supra Cubile. 144.

Eminùs è tecto hoc abeas, malesane Tumultus;
Relligio, & Pallas te ſiluiſſe rogat.

Ad Fernandum. 145.

Ex ferro, Fernande, trahis ſpectabile Nomen;
Ex Auro Mores ſunt tibi, & Ingenium.

Ad Harpalum. 146.

Et Cantu, & Uultu mihi crederis, Harpale, Siren;
Dum recreas, perimis: dum feris, arte beas.

S. Thomas de Aquino. 147.

Fulgentem geſtat Thomas in pectore Solem;
Si ſpectas Mentem, Lumina Solis habet.

Ad Amicum. 148.

Si Quis nulla probat longo poſt tempore, Signum eſt
Quòd Cauſæ pondus nil Rationis habet.

De Reo imputato. 149.

Si Reus apparet tandem Rectuſque, Piuſque,
Neſcio quæ meriti lumina Crimen habet.

Ad Harpalum. 150.

Exiguus membris ſapis, Harpale, plura; putaris
Corpore Pigmæus, non tamen Ingenio.

Ad

Ad Eunum. 151.

Nunc audes; nunc, Eune, times; ſic dicere poſſum,
Totus es, Eune, Ignis; totus es, Eune, Gelu.

Ad Bythinnicum. 152.

Dives es, & pauper; pauper Bythinnice, cenſu;
Carminibus dives, ditior Eloquio.

Tempus. 153.

Eſt Anguis Tempus; populos, & devorat Urbes;
Quemque ferit, vaſto gutture Quemque necat.

Puer, Anguis, & Pater. 154.

Hinc Puer, hinc Anguis; Puer eſt moriturus ab Angue:
Tela jacit Genitor; non Puer, Anguis obit.

Eucbariſtia. 155.

Hic panis charus tibi ſit, qui venit ab alto,
Ut noſtris Morbis pharmaca certa daret.

Chriſti Mors. 156.

Chriſtus obit pro te; ſpargas de lumine fletus;
Cerne tuum facinus; funeris Author eris.

Ad Amicum. 157.

Raſtrũ, Aſtrũ, Taurus, Mons eſt in Stẽmate triplex;
Vile tibi mixta Nobilitate Genus.

Ad

Ad Amicos. 158.

Carmina dum facio, de Cælo decidit imber;
Facundas Muſas Imber, & Unda facit.

Ad Ignatium. 159.

Stēma Ignē mōſtrat; mōſtrat mihi Nomen & Ignem;
Clarus uti eſt Ignis, ſi tua clara Domus.

Ad Bernardum. 160.

Indicium præbet Nomen, Bernarde, quòd ardes.
Emicat ex oculis Flamma, Venuſque tuis.

Amator. 161.

Heù Majas toto deteſtor Corde Kalendas.
Hiſce mihi rapuit Gaudia ſævus Amor.

Ad Amicum. 162.

Naturæ, atque Artis Deus eſt mirabilis Author;
Quidquid habes, humilis diſce referre Deo.

Ad Nili Sedile pro Capite S. Januarii. 163.

Nile, caput deerat: tibi nunc dat Martyr:ab illo
Neſcio quid majus Nobilitatis habes.

Ad Nili ſedile pro Sanguine S. Januarij. 164.

Nile, flucs ſemper, deerit nec gurges Aquarum;
Quas voluis, Sanguis Martyris auget Aquas,

Crux

Crux. 165.

Quid Crux? Empyrei Clavis; Crux una beatos
Nos reddit; Superùm Gaudia ſola parit.

Franciſcus Confortus Concionator. 166.

Dic quid Confortus? non eſt niſi floridus Hortus;
Virtutum flores paruus hic Hortus habet.

Ad Linum. 167.

Oceanum in Uultu geſtas, in corde Veſæuum;
Illacrymas ſemper, dum, Line, flagrat Amor.

Ad Lælium. 168.

Surgit ad Occaſum, Læli, tibi nobile Tectum;
Scilicet Occaſum mox patiere tuum.

Paradiſus. 169.

Omne Bonum prorsùs Cœlo ſervatur in uno;
Ut felix fias, ſit tibi corde Deus.

Vitrorum Officina. 170.

Dum fragiles phialas ſpectas, hoc diſcito ab illis;
Par phialis Vita eſt, frangitur, & moreris.

Ad Bythinnicum. 171.

Quid ſit Vita, rogas? audi, Bythinnice, dicam;
Perpetuuſque Labor, perpetuuſque Dolor.

Ad Ponticum. 172.

Crederis Archiſophos ſpectatis, Pontice, verbis;
Spectatis Rebus, crederis Archionos.

De Paulino, & Pontico. 173.

Nec Paulinus habet Capros, nec Ponticus Hircos;
Hic tamen eſſe Hircus creditur, ille Caper.

Ad Adoleſcentem. 174.

Quidquid proponit Senſus, ſordeſcit; ab illo
Sit procul, ut ſapias plurima, Mentis Amor.

Ad Afram. 175.

Afra, time, Cinaras dum palpas; barbara Clotho
In vermes mox te ſolvet, & in Cineres.

Ad Lectorem ſui Operis, 176.

Lector, Opus volvas, volvas velociter illud;
Poſt illud faciam voluere majus Opus.

Chriſti Sepulchrum. 177.

Hic Tumulus Chriſtū claudit jam morte peremptū;
Da lachrymas, Hoſpes, ni cupis eſſe Lapis.

Ad Amicum. 178.

Improbus, inſipiens, Pauper malè carpit Jèſum;
Si malè tu carpis, de tribus unus eris.

Ad

Ad Andream Concionatorem. 179.

Andrea, Andreæ par es, ceu Nomine, Rebus;
Eloquio Chriſti tollis ad Aſtra Fidem.

Ad Xaberiam. 180.

Xaberii retines, felix Xaberia Nomen;
Xaberii addiſcas geſta, Fidemque ſequi.

Ad Lælium. 181.

Do florem, Læli, capias, & diſcito ab illo,
Veſpere ſi vivis, mane perire potes.

Ad Paulinum. 182.

Effugias, Pauline, domos, ubi Scorta triumphant;
Naſcitur ex illis Gallica ſæpe Lues.

Ad Amicum. 183.

Fontis Aquam potes, nec ſordida Stercora tangas;
Hæc fædant Mores, abluit illa tuos.

Supra fontem. 184.

Terge manus leviter, ne candida lintea fædes;
Te demonſtra Hominem, non tamen eſſe Suem.

Ad Harpalum. 185.

Ne tumeas titulis; tituli ſunt, Harpale, fumus,
Sola juvat Pietas, Harpale; ſola Fides.

Horologium ad Solem. 186.

Umbra Dies monſtrat; Vita eſt fuga longa Dierum;
Umbra Igitur Vita eſt; ſunt levis Umbra Dies.

Ad Amicum. 187.

Heu frigeſcit Amor! Comites, Sociique tepeſcunt;
Nuſquam eſt hoc noſtro in tempore tuta Fides.

Dives Cereo comparatur. 188.

Solvitur in lachrymas dum cerea Thæda coruſcat;
Sic Dives faſtu fulget, & ore gemit.

Filius Patrem occidit. 189.

Filius enecuit Patrem, poſt factus obivit
Ipſe ſibi Judex, Lictor, & ipſe Reus.

Semen eſt Verbum Dei. 190.

Quidne Dei Verbum? Semen; quid ſurgit ab illo?
Relligio, Pietas, Spes, Amor, alma Fides.

Ad Paulinum. 191.

Italicas ſectare hilaris, Pauline, Camænas;
Conferet immenſas docta Poeſis Opes.

Ad Amicum. 192.

Conſpicuas Cunas Aries tibi præbuit Ortu;
Auriferum Vellus mox tibi Fata dabunt.

Iu-

Juſtitia non recta. 193.

Juſtitiȩ lances numquam tractantur in æquo;
Prævertunt Mentem munera, vel lachrymæ.

Ad Paulum. 194.

Ut ſimules Vitam rectam, Jejunia Servas;
Non eſt Juſtitia hæc, Paule, ſed Hyppocriſis.

Ad Amicum. 195.

Uxorem cptaſti - cautus nunc aufugis illam;
Quam bene! Crux Conjux, pœnaque, morſq;tui.

Ad Ponticum. 196.

CURIOSUS: CUR? I, OSUS.
Res omnes CUR noſſe optas? I, Pontice, ab Urbe;
OSUS es, & populis Omnibus OSUS eris.

Lucretius Carus. 197.

Scribendi Verſus viguit Lucretius oeſtro;
Charus erat Muſis, charior Ingenio.

Sanguis Divi Januarii. 198.

In phialis Sanguis renovat Portenta quotannis;
Vitam aluit quondam, nunc alit ille Fidem.

Ad Franciſcum Pulicem. 199.

Cognomen ſi ſpecto, Pulex, Franciſce, putaris;
Si ſpecto Ingenium, crederis, eſſe Gigas.

Digitized by Google

Jeſus. 200.

Rebus in adverſis Clypeus tibi fiat Jeſus;
Contra Hoſtes nihil hoc fortius eſſe poteſt.

MARIA. Anagrāma. I, Arma. 201.

I contra Mundum, Carnemque, & Dæmona; Victor
Ut fias, Nomen Virginis ARMA dabit.

Joſephus Anagrāma. Vi, Hoſpes. 202.

Vi cape ad Empyreum tanto ſub Vindice greſſum;
Ire times? aude; Soſpes, & HOSPES eris.

Ad Linum. 203.

Lippus es, & claudus; vis nubere? nube Lycori;
Ebria, gibboſa eſt, & Line, monocula.

Elpinæ Partus. 204.

Jam felix Elpina Marem dimiſit ab Alvo;
Ne perimant partum, cuncta Elementa precor.

Ad Bythinnicum. 205.

Nobilitas Hominum ſola eſt, Bythinnice, Virtus;
Divitias, Titulos, Stemmata crede lutum.

Ad Ponticum. 206.

Ingenuum Ingenium monſtras cùm Carmina ſcribis
Nec mordes Muſis, Pontice; neve latras.

Ad

Ad Ollum. 207.

Baſia das manibus, non attamen, Olle, labellis;
Caſtus, & Urbanus crederis, Olle, ſimul.

Ad Paulinum. 208.

Patria quantumvis Tibi ſit, Pauline, Salernum;
Cùm loqueris, monſtras nil habuiſſe Salis.

Supra Rus. 209.

Rus Sterile hoc fuerat, plenis nunc fructibus Uber;
Ut juvet Hæredes, ſtat quoque parva Domus.

Ad Paulum. 210.

Nunc Mulas, nunc perdis Opes, nũc prædia, & Aurũ;
Heu perdas Animam denique, Paule, tuam.

Ad Linum. 211.

Optatam Cænam lepidè, pulchrèque paravi;
Diſplicuit credo quòd, Line, parva fuit.

Ad Soſibianum. 212.

Serva Tibi Genitrix, Genitor Libertus; ab illis
Ingenuus dici, Soſibiane, nequis.

Ad Eunum. 213.

Te Curam Superùm reputamus, & eſſe Deorum;
Toxica enim perimunt; te tamen, Eune, juvant.

Ad Ponticum. 214.

Quantumvis Vinum libes, & Cæcuba potes,
Te dicit Uulgus, Pontice, Aquariolum.

Ad Ponticum. 215.

Archiater fueras, mutaſti, Pontice, mores;
Cùm ſis corde audax, Architalaſſus eris.

Ad Harpalum. 216.

Virgilium obſervas, imitaris, & Harpale; parvo
Tempore Virgilii Cercophitecus eris.

Ad Bythinnicum. 217.

Cùm flavos Crines habeas, Bythinnice, poſſum
Te cum Jure quidem dicere Chryſogonem.

Ad Cæſarem. 218.

Scribe Elegos, Cæſar: Sectatur Adorea Muſas;
Poſt funus vives Nomine, & Ingenio.

Ad Ponticum Longombardum. 219.

Longus es, & Bardus; longus, cùm, Pontice, faris;
Si quid agis, Bardus crederis, & ſatuus.

Ad Paulinum. 220.

Undique te dicunt omnes, Pauline, Demarchum;
Spectatis Atavis Fæx tamen es populi.

Ad

Ad Medicum. 221.

Empiricas normas Medicus ſectaris, & artes;
Facta merent Orcum, non tamen Empyreum.

Ad Ponticum. 122.

Scribis Epinicium pro me, dum perſequor Hoſtes;
Mox moriar; Scribes, Pontice, Epicedium.

Ad Lælium. 223.

Mnimoſinon quæris, dono tibi, Carmina, Læli;
Quod Tibi donaſſem, non mihi majus erat.

Arma, & leges. 224.

Arma decent Reges, ſimul & bona dogmata Juris;
Defendunt populos Illa, ſed Iſta regunt.

Ad Bythinnicum. 225.

Opthalmia Tibi grata eſt; Bythinnice, Avoque;
Grata tuo tamen eſt Phlebotomia Patri.

Ad Paulinum. 226.

Ut vivam felix, ſimul &, Pauline, beatus,
Ambio nec Nimium, nec Volo quod Minimum.

Ad Fabianum. 227.

Aſtrologus, Vates, Medicus ter crederis Hermes;
In libris vives ter, Fabiane, tuis.

Ludovicus XIV. Gallorum Rex mortuus. 228.

Rex Titulis Ludovicus erat, Virtutibus Heros,
Conſiliis Numen; Morte quid Ille? NIHIL.

Eliſabeth Imperatrix gravida. 229.

Eliſabeth jam ventre tumet, ſint Gaudia Regnis:
Vel CAROLUS partus, vel LEOPOLDUS erit.

Ad Caſtricum. 230.

Nec tibi ſunt Libri; nec ſunt tibi, Caſtrice, libræ:
Sic bis deſpiceris, Pauper, & inſipiens.

Ad Ponticum. 231.

Os quoties aperis, aures mihi, Pontice, claudo:
Nec benè, nec rectè Sciſque, Sapiſque loqui.

Ad Oratorem. 232.

Jure Locus vernat tibi floridus, unde peroras;
Lilia tot loqueris, Verba quot articulas.

De Cæſare. 233.

Cæſaris in blando reſident duo Numina Uultu;
Hinc hilaris genio Juppiter, inde Venus.

Ad Poſtumum. 234.

Das ſtudiis Operam; aliquid nec, Poſthume, noſcis:
Omnia vis properè noſcere? noſce Deum.

Ad

Ad Bythinnicum. 235.

Specto tuos mores quoties, Bythinnice, dico,
Vel Taurus Genitor, vel Lupa Mater erat.

Superbia. 236.

Cunctorum Scelerum Regina Superbia, & Altrix;
Dum nos extollit, Tartara ad ima trahit.

Filius Prodigus. 237.

Prodigus è Patris tecto procul exul abivit;
Poſt rediit; fecit Quis rediiſſe? Fames.

Ad Diodatum. 238.

Sæpe mihi verbis præbes, Diodate, Salutem:
Sed quod das Verbis; Re, Diodate, negas.

Ad Ponticum. 239.

Suſpiras, quereris, langues, &, Pontice, luges;
Eſſe cupis felix? ſit procul atra Venus.

Tempus. 240.

Eſt Tempus Coluber, qui ſauciat Omnia morſu:
Quod ſpectat facto Veſpere, mane vorat.

Infernus. 241.

Mille ſuo Tormenta ſinu complectitur Orcus:
Occidit pœnis, nec facit ille mori.

Ad Lælium. 242.

Optima nunc recitas, nunc peſſima Carmina, Læli;
Quæ mala ſunt, tua ſunt: Quæ bona, non tua ſunt.

Ad Paulum. 243.

Te nullus lacerat, laceras tamen Invidus Omnes,
Paule, nihil dignum, quod ſtupeamus, habes.

Ad Sabellium. 244.

Clericus eſt Paulus, Monachus fuit ante, Sabelli;
Sed mox vel Leno, vel Paraſitus erit.

Ad Harpalum. 245.

Harpale, ſēper amas; cohibe tamē, Harpale, Amorem;
Evenit ut noceat continuatus Amor.

Ad Bythinnicum. 246.

Afer, & Albinus duo ſunt, Bythinnice, fratres;
Imbrobus ille tamen dicitur, Iſte Pius.

Ad Ollum. 247.

Ad Templi limen ſedet Harpalus, Olle, rogator;
Abripuit Pellex omnia, dives erat.

Ad Fabianum. 248.

Mancinus Puer eſt, ſed Vir, Fabiane, Coranus;
Ille poteſt falli, non tamen iſte poteſt.

De

De Hippodamo. 249.

Hippodamus Muſas ſequitur, nec fulget ab illis;
Ingenio non eſt floridus, imò rudis.

Virtus, & Lux abſcondita. 250.

Et latet, & lucet medio Lux addita Vitro;
Sic Virtus fulget, cùm magis illa latet.

Ad Paulum. 251.

Sæpe comam tingis, Iuuenis ſic, Paule videris;
Quid facies barbæ? tingier illa nequit.

Ad Ponticum. 252.

Sordida Mappa tua eſt, cænas cùm, Pontice, at erro;
Cùm nihil exponat, candida Mappa tua eſt.

Mors Juſti, & Iniuſti. 253.

Cùm Malus emoritur, Mors eſt Dolor anxius illi;
Cùm Bonus emoritur, Mors ſibi Delicium.

Ad Ponticum. 254.

Cùm dormis, ſemper dormis; nec, Pontice, ſentis:
Hoc Vinum, aut potiùs Vita pudica facit.

Gratia, & Ardor habendi. 255.

Gratia Juſtitiam corrumpit, & Ardor habendi;
Hæc duo Judicibus Judicium rapiunt.

Ad Eunum. 256.

Ante Inimicus eras, Patriæ es nunc perfidus Hoſtis:
Occidi haud poteras, nunc tamen, Eune, potes.

Sub Imagine Antonii de Marra. 257.

Hic eſt, qui fratri mirabile ab Arte Sepulchrum
Condidit; haud poterit Nomine Uterque mori.

Oſchii Tumulus. 258.

Conditus hoc parvo in tumulo jacet Oſchius; illi
Eripuit nimius Potus, & Eſca Dies.

Sub Imagine Hectoris de Marra. 259.

Si Uultum ſpectas, Eques hic erit inclytus Hector;
Si Cor, aut Mentis lumina, Numen erit.

Ad Lælium. 260.

Inſequitur Gemitus poſt dulcia Gaudia, Læli;
Nec ſtupeas, ſemper ſunt Mala mixta Bonis.

Ad Bellam. 261.

Bella, tibi Volucer dat plurima Gaudia bellus;
Cùm Te conſpicio, tunc mihi Bella paras.

De ſe ad Amicum. 262.

Firma Salus Vati eſt; nullus ſtat Corpore Morbus;
Floreſcit Cæſar Corpore, & Ingenio.

Ad

Ad Pamphilum. 263.

Virgilius videor cùm ſcribo, Pamphilè, Verſus;
Sed Quis Mæcenas? Quis mihi Cæſar erit?

Ad Carolum Ducem. 264.

Quid Martem? quid Caſtra fugis? ſta, Carole, fortis,
Captus eris? fuerit gloria; obibis? Honor.

Ad Sceleſtos. 265.

Quid Scelerum premitis perverſo tramite calles?
Heu miſeri, Vitæ Terminus Orcus erit.

Ad Harpalum. 266.

Imbre rigas flores; herbis das, Harpale, Vitam;
Quod facis, ex Aſtris hoc facit Urna Jovis.

Ad Sabellium. 267.

Mente tumes, lucemque geris, thædamque, Sabelli;
Ex hoc te poſſum dicere Luciferum.

Ad Paulum. 268.

Ex Aula quid, Paule optas, dum vivis in Aula?
Dumtaxat gemitus, quos habet, Aula dabit.

Deipara. 269.

Theſaurus Superùm Virgo eſt, & gloria Olympi;
Luminibus ditat cuncta Elementa ſuis.

De-

De Ludo. 270.

Abripuit populo ſpecioſa Numiſmata Ludus;
Ludere quidne ergo? dulce latrocinium.

De Lydia. 271.

Poſt Riſum, poſt mille Jocos (Pater ingemit æger)
Ore levis facta eſt Lydia, ventre gravis.

Avaritia. 272.

Aut Amor, aut Genius Socios conjungit, & unit;
Poſteà quid ſolvit Vincula? Avarities.

De Judice. 273.

Sit Lentus Judex, aliis cùm Jura miniſtrat;
Quod præceps, Juſtum ſit licet, Error erit.

Ad Paulinum 274.

Mitto tibi, Pauline, Merum, quod ſæpe rogaſti;
Ut potus, fiat gratior, adde Nivem.

De Mario. 275.

Sanus erat Marius, morbo nec preſſus ab ullo;
Extinctum Patruum vidit, & interiit.

De Phyllide 276.

Apta Viro eſt Phyllis; thalamos conjungere vellet;
Sed nequit, ægrotat Mater, obivit Avus.

De-

Deus. 277.

Quid Deus? Empyrei Moderator,& Arbiter Orbis;
Tunc magis encomias, cùm magis ore ſiles.

Ad Harpalum. 278.

Nulla capis, volvas ſemper licèt, Harpale, libros;
Pingue tibi Corpus, pinguius Ingenium.

Pro Ludo. 279.

Si cupis ex Ludo magnum comprendere lucrum;
Sume tibi quatuor; ter tibi ſume decem.

De Libro Aſtrologico. 280.

Aſtrorum, Lunæ, & Solis vis noſcere motus?
Quæ Liber hic claudit dogmata, ſæpe legas.

Deipara Septem Dolorum. 281.

Septem Enſes Virgo fixos in pectore geſtat;
Enſibus hiſce Hoſtes opprimit illa tuos.

Invidia. 282.

Virtutum Invidia eſt Hoſtis; quæ vulnera tentat
Ferre aliis, ſolita eſt ſæpius ipſa pati.

De Ludovico Rege, & Hæretico. 283.

Seminat Hæreſeos Ludovicus ubique Venenum;
Non Rex, ſed Regni eſt Regulus ille ſui.

Ad-

Ad Amicum. 284.

Pulchra tibi eſt Uxor, uultu deformis Amica;
Cæcus Amor dictat deteriora ſequi.

Ad Bythinnicum. 285.

Scripſiſti Hæredem Marium, Bythinnice; ſed nunc
Sæpe preces Superis porrigit, ut pereas.

Aſſidua Pluvia. 286.

Labitur è Cœlo magnus Cataclyſmus Aquarum,
Ut Deus affligat Crimina, perdit Agros.

Ad Linum. 287.

Cynthia grata tibi; grata eſt, Line, Leſbia, fratri;
Lesbia neve mihi, Cynthia neve placet.

Ad Ponticum. 288.

Lydia grata tibi; tibi, Pontice, grata Lycoris:
Utraque dat Muſis lumina mille tuis.

Hunc humiliat, & hunc exaltat. 289.

Nunc Nos extollit; nunc nos Deus opprimit; Ergo
Qui timet, hic tumeat; qui tumet, hic timeat.

Ludovicus XIV. Gallorum Rex mortuus. 290.

Mors alas Gallo rapuit poſt mille Volatus;
MARTE fuit Regum Gloria, MORTE Timor.

Au-

Autonoi Sepulchrum. 291.

Hic ſitus Autonous; fuit inclyta Gloria legum;
Bartolus Ingenio, Tullius Eloquio.

Ad Ollum. 292.

Munera mitte priùs,quoties mea Carmina poſcis;
Tunc laudatur Opus, cùm datur, Olle, lucrum.

Ad Macrinum. 293.

Effuge Lenones, Scurraſque, leveſque Cinædos:
Corrumpunt Mores ſæpe, Macrine, tuos.

Author de ſe ipſo. 294.

I procul Ambitio; mihi ſit ſacra purpura Chriſtus;
Purpura habet Gemitus; Gaudia Chriſtus habet.

Ad Ponticum de Parthenio. 295.

Parthenius Muſis vernat; nec, Pontice, miror;
Indicium Nomen Virginitatis habet.

Ad Bythinnicum. 296.

Mitte mihi fructus empto, Bythinnice, ab Horto;
Sic Semper plantis Æſtus, & Unda juvet.

Ad Paulum. 297.

Cùm tibi depictus Phàëton ſit, Paule, per Ædes,
Non poterit flammis non periiſſe Domus.

Ad

Ad Papilum. 298.

Nunc gemis extinctos Patrios; nunc, Papile, Natos;
Nos facies funus mox gemuiſſe tuum.

Ad Ponticum. 299.

Ne tumeas, populus tua ſi metra, Pontice, laudet;
Namque licet laudet, non tamen illa legit.

Ad Paulinum. 300.

Hexaphoro veheris totam, Pauline, per Urbem;
Ire pedes velles, nec tamen ire potes.

Ad Coſmum. 301.

Non Leo, nō Phœnix, Elephas nec, Coſme, nec Agnus;
Crederis ex Brutis aut Canis, aut Aſinus.

Ad Harpalum. 302.

Nunc geris Aſtrologi; Medici nunc, Harpale, partes;
Ex utroque nihil percipis Officio.

Ad Juriſprudentiæ Cupidum. 303.

Ne parcas ſtudiis, ſi quæris noſcere Jura;
Qui vigilat totis Noctibus, ille ſapit.

Ad Bythinnicum. 304.

Carmina cùm ſcribis; pota, Bythinnice, Græcum;
Ex Græco multum Carmina lumen habent.

Ad

Ad Lælium. 305.

Nil das, & dicis quod des mihi munera, Læli;
Da poſthac, prodeſt hoc magis, & taceas.

Ad Velocem. 306.

Scribendo pigeres, quamvis ſis nomine Velox;
Sed metra, quæ ſcribis pigriùs, illa placent.

Ad Fabianum. 307.

Mitto tibi verſus, quia te vix doctior ullus;
Ille meret Muſas, qui, Fabiane, ſapit.

Ad Ponticum. 308.

Et Myrrham, & Librũ,mitto tibi,Pontice,Utrumq;
Illa tibi Mortem ſuggerit, Iſte docet.

Ad Thelesphorum. 309.

Hàc, illàc recitas mea metra, Theleſphore, in Urbe;
Ut benè ſana, juvant, ſic benè culta, placent.

Antullæ Epitaphium. 310.

Hic Antulla jacet, fuerat bis chara Marito;
Fercula quærebat pauca, bibebat Aquam.

Pro Ludo. 311.

Accipe bis quatuor; ter ſena adjungito & illis,
Si vis ex Ludo ſumere grande Lucrum.

Ad

Ad Tranquillum. 312.

Tranquilli Tu Nomen habes, tamen omnia turbas
Eloquio, Calamo, Moribus, Ingenio.

Calor tempore S. Laurentii. 313.

Quid flagrant Elementa nimis? Laurentis ab Igne
Vibrare ignitas edidicere faces.

S. Catharina Virgo, & Martyr. 314.

Ne doleas, Catharina, Rotas ſi poneris inter;
Hiſce Rotis velox celſa ſub Aſtra volas.

Ad Harpalum. 315.

Effuge Pomonæ quantum potes, Harpale, Uultum;
Cùm prodeſſe putas, tunc tibi poma nocent.

Ad Bythinnicum. 316.

Verba ſemel tecum feci, Bythinnice; ab illis
Vix natus crevit factus adultus Amor.

Ad Ponticum. 317.

Neve tibi Ingenium, neve eſt tibi, Pontice, Virtus;
Sed quid Prætextam contulit? Improbitas.

Ad Eunum. 318.

Diligo Ego Corvos; Tu diligis, Eune, Palumbos;
Allicitur Genio quilibet, Eune, ſuo.

Ad

Ad Sigiſmundum. 319.

Nomine habes Mundũ,præclaro in Stẽmate Turrim;
Ille facit Dominum; Te facit iſta Ducem.

Ad Ponticum. 320.

Verba facis ſemper; credis te Rhetora, q̃t erras,
Pontice; nil Artis, nilque Leporis habes.

Ad Paulum. 321.

Nec timidum te, Paule, puto; nec credo Superbum;
Scripta monent, monſtrat Vox tua, Facta probant.

Ad Poſthumum. 322.

Miles es, & ſequeris Scortum; nec, Poſthume, miror;
Fertur enim Marti grata fuiſſe Venus.

Ad Neſtorem. 323.

Quid Mulier? quid, Neſtor, amet, vis noſcere? nũmos
Non habeas nummos; friget, & alget Amor.

Ad Maximum. 324.

Omnia poſt ſolam Virtutem, Maxime, ponas;
Omnia enim Virtus nobilitate præit.

Ad Sabellium. 325.

Carmina dura facis; Prognoſtica falſa, Sabelli;
Nec bonus es Vates; nec bonus Aſtrologus.

Ad Flaccum. 326.

Flacce, merum pota, cùm vis componere Verſus;
Effluit è gelidis non benè Carmen Aquis.

Ad Paulam. 327.

Aufidium Patrem dicis, ſed, Paula, jocaris;
Tu Pellex, Leno creditur ille Tuus.

Ad Bythinnicum. 328.

Sextus erat dives; nunc eſt, Bythinnice, Pauper:
Omnia diripuit Lydia blanditiis.

Catonis Tumulus. 329.

Urna hæc Quid claudit? Cineres, Maneſq; Catonis;
Ne Libertatem perderet, occubuit.

Ad Caſtronicum. 330.

Cùm ſis Orator; fias, Caſtronice, Arator:
Namque tibi nulla eſt Gratia in Eloquio.

Ad Harpalum. 331.

Mactaſti quatuor Tauros, totidemque Bidentes;
Te dicam poſthac, Harpale, Carnificem.

Ad Amphalum. 332.

Pingis, & ædificas: nihil, Amphale, reddit Utrumq;
Ut lucrum facias, Arva, vel Arma colas.

Ad

Ad Avitum. 333.

Si quis te lædit, lædentem lædere noli;
Ut prudenter agas, ſuffer, Avite, malum.

Ad Neſtorem. 334.

Quaque die venerare Deum, dependet ab illo
Siquid habes, Neſtor; Siquid habere potes.

Ad Bythinnicum. 335.

Semper eris pauper, cùm ſis, Bythinnice, rectus;
Sors tollit noſtro hoc tempore ad Aſtra malos.

Ad Harpalum. 336.

Commeſſator Avus; Genitor fuit, Harpale, Leno;
Tu poteris triſti voce citare Reos.

Ad Lælium. 337.

Alchimiam, Læli, diſcis; Labor irritus omnis:
Cræſus enim fieri dum cupis, Irus eris.

Ad Paulum. 338.

Venaris Cyathos, & Cænis Retia tendis;
Omnibus exoſum Te Gula, Paule, facit.

Ad Potitum. 339

Ex multis annis notum quid ſpernis Amicum?
Dilige, ſic poſcit noſtra, Potite, Fides.

Ad Paulum. 340.

Sim quamvis pauper,non ſum tamẽ improbus; ergò
Nec doleo, credas, Paule, nec erubeo.

Ad Avitum. 341.

Munera do paucis, cunctis do Carmina. Honorem
Nulli; Num Mores carpis, Avite, meos?

Ad Eunum. 342.

Optat Eques dici, cùm ſit Linus, Eune, Bubulcus;
Hoc levius nullum jam reor eſſe caput.

Ad Coracinum. 343.

COR tibi dat nomen,quoties,COR acine,vocaris;
Sed quia te terrent Omnia, Corde cares.

Ad Maſſilianum. 344.

Expoſcis noſtras placiduſque,humiliſque Camænas,
Mox dabo, nam Muſas, Maſſiliane, ſapis.

Ad Ponticum. 345.

Aufidii Laribus flammas admövit Avitus;
Uſta Domus cecidit, Pontice, non Dominus.

Ad Benedictum Sergium. 346.

Priſca Tibi Domus eſt priſco de Sanguine Avorũ,
Nam Gens, mi Sergi, Sergia priſca fuit.

)( )(AR-

ARGUTÆ VIRILITATIS EXERCITAMENTA,

Seu

EPIGRAMMATON *LIBER TERTIUS.*

Ad Clementem XI. Pontif. Opt. Max.

EPIGRAMMA. I.

O Lux Pontificum, felix Caput Urbis, & Orbis,
Qui Chriſti exerces Jura, Petrique vices,
Ut reor, Aſcræis etiam Te pulchra Poeſis
Delectat numeris, Carminibuſque trahit;
Urbanum traxit quondam, magnumque Leonem:
Eccleſiæ primum Lumen Uterque fuit:
Adde quòd Angelicas inter ſuper Aſtra Cohortes
Perpetuum faciunt Metra, Lyræque Melos;
Idcircò has parvas Nugas, tenueſque Camænas
Corde humilis pedibus ſacro, dicoque tuis:
Obſequii ſunt ſigna mei, ſunt conſcia Mentis
Pignora, ſunt Animi nobile amantis Opus:
Si libet, evolvas; parvum nec deſpice munus,
Sæpe Deo thuris grana minuta placent;
Pone ſupercilium, quoniam Clementia Nomen
Contulit, & miti Carmina fronte legas:
Ex Vultu, geſtiſque tuis ea lumina fulgent,
Addere quæ poſſunt verſibus uſque jubar:
Alba fugat tenebras; tua nobilis Alba fugabit
Dedecus ex Muſis, Pauperiemque meis.

AD CAROLUM VI. *Imperatorem, & Hiſpaniarum Regem Auguſtum.*

EPIGRAMMA. 2.

Undique belligeri reſonant metuenda Gradivi
Prælia; per populos paſſim sũt funera; & urbes;
Cædesque, gemitusq; graves Furor improbus armis
Auget, & exundat Sanguis Torrentis ad inſtar;
Non eſt qui ſiccos Oculos oſtendat, ut Imber
Emanant lachrymæ: Mater ſua pignora deflet,
Sponſa Virum, frater fratrem, Patruusque Nepotem;
Hiſpanos Gallis commixtos cernimus ire
Contrà Teutonicas Acies, Angloſque minaces;
Nec finis bello, tantis nec terminus Auſis
Ullus erit, niſi Te Nos, Carole, ad æthera vectum
Auſtriacis Aquilis videamus cum Jove ſummo
Æquatũ, ſuperisque parem, dominumq; ſupremum
Europæ, Italiæque & tandem totius Orbis;
Ut Patrem, ut Numen Te publica Vota repoſcunt,
Te quoniam comitatur Amor, Pietasq; Fideſque,
Religio, & Candor Juſti Defenſor, & Æqui:
Si pugnare libet, pugnes, Nos fulmina Martis
Ridemus; tutos reddit Tua Regia Laurus.

Ad

Ad Eundem Auguſtiſſimum Imperatorem, & Monarcham piiſſimum.

3.

O Fax Armorum, ſuprema Potentia Martis,
Carole, & Imperii Gloria, & Auſtriadum;
In Te Conſilii lumen mirabile fulget,
Integritas, Pietas, Religioſa Fides;
Quidquid Virtutis toto laudatur in Orbe,
Tu felix meritis inclytus unus habes:
Auguſto Auguſtos jungis cum Sanguine Mores,
Quos celebrat plauſu Gloria, & uſque ſtupet:
Quidquid agis, prudenter agis; Leopoldus ab alto
Inſpicit, & vitæ geſta decora probat:
Juſtitiæ Tibi fervet Amor; Tibi fervet & Æqui
Spiritus, excelſo Nomine vincis Avos:
Græcia nec talem vidit, nec Perſia Regem;
Non ſic prudentem credo fuiſſe Numam:
Omnia decernis cum laudibus, omnia rectè
Præcipis; expediunt quæ magis, illa jubes:
Præmia Virtuti diſpenſas debita; pœnas
Das Sceleri; hoc fieri Numina ubique volunt:
Si Tibi Sors populos omnes conferret, & Orbem,
Inciperent fato proſperiore regi.

ELISABETH CHRISTINA

Romanorum Imperatrix, & Hiſpaniarum Regina prolem concepit. 4.

Mille triumphales ſinuoſis Orbibus Arcus
 Perque Vias ponant Oppida, perq; Domos,
Undique Parthenope ſpargat per Compita Lauros;
 Lætitiæ oſtendat publica ſigna Forus:
Pauſilypi exultent Colles, & littora circum
 Iſchia, & Inarime fundat ab ore Melos:
Mergelline etiam, necnon & Olympia, & Ægle
 Dulcia multiplicent Gaudia mixta Jocis:
Vesbius eructet flammas innoxius, atque
 Auguſtam redimat luce micante Diem:
Auriferos mittat radios Sol; Cynthia vibret
 Inſolitum vultu nobiliore Jubar:
Omnia lætentur, gratentur & omnia; Phæbus
 Sollicitet cantu fervidiore Chelym:
Eliſabeth Domina Imperii, Reginaque Iberum
 Concepit prolem, quam gravis Alvus habet.
Curia, Plebs, Populus, Proceres, & nobilis Ordo
 Plurima Cælicolis vota, preceſque ferant:
Nec Mars, nec fœtum lædat Saturnus; eundem
 Incluſum foveant cuncta Elementa ſinu:
Alcides, vel magnus Atlas naſcatur, ut Orbem,
 Quem tergo Carolus ſubſtinet, ille regat.

Hi

Hiſpanicæ Monarchiæ Senatus gratatur quòd Eliſabeth Romanorum Imperatrix conceperit. 5.

CArolus excelſum poſuit, ſtatuitque Senatum,
 Qui Res Hiſpanas ſpectet, & uſque regat;
Juſtitiæ Templum, veræ Pietatis Aſylum
 Creditur; in toto ſanctius Orbe nihil:
Quot Patres reſident, tot Numina ſacra putantur,
 Integritate Boni, Relligione Pii:
Non ſic excultus Baldus, nec Bartolus olim,
 Nec tam mente ſagax Papinianus erat:
Græcia nec vidit, vidit nec Roma Miniſtros,
 Qui tanti Ingenii, Conſiliique forent:
Immodicos ſpernunt noctùque, diùque labores,
 Ut Regi, ut Regnis conſuluiſſe queant:
Suppliciis facinus plectunt, & crimina pœnis;
 Virtutes faſtu ſumma per Aſtra ferunt:
Nunc hilares vultu gratantur, & undique gaudent,
 Nec poſſunt plauſus continuiſſe ſuos:
Scilicet Eliſabeth prolem concepit in alvo,
 Et felix gravido jam tumet illa ſinu:
Mille preces ſuperis ſpargunt, & Vota per Aras,
 Ut Mas ſit Partus, vivat & ille ſenex:
Auſtriacos Dominos ſibi poſcit Iberia; ab illis
 Quò poſſit Soſpes vivere, ſperat opem.

Ad Antonium Folch de Cardona Valentiæ Archiepiſcopum, & intimum Imperatoris Conſiliarium. 6.

Virtutes, Moreſque tuos, & lumina Mentis
  Quis Vatum Muſis explicuiſſe poteſt?
Te decorat laudanda Themis, Te Cordis Honeſtas,
  Candor, Amor, Probitas, cumque Decore Fides:
Ingenio claudis quidquid Prudentia Juris
  Edocet, & medio continet illa ſinu;
Eloquio effundis gemmas ſine limite, & aurum;
  Allicis, & fandi Nectare corda ligas:
Juſtitiæ præcepta pius ſervaſque, foveſque;
  Neve movent ſenſus munera, neve preces:
Exemplum præbes celſis Virtutibus ingens,
  Quemque Animi egregia nobilitate mones:
Antoni, laudat te tota Valentia plauſu
  Integritate Bonum, conſilioque Pium;
Pro populis numquam laſſus, pro Rege laboras,
  Et ſuffers ultrò grande Laboris onus:
Quidquid agis magno miratur Iberia faſtu,
  Totaque ſublimi laude Vienna ſtupet:
O Tibi Neſtoreos concedat Juppiter annos,
  O redimat glacie longa ſenecta comas:
ANGELUS è Cælo lapſus reputaris, ut Orbem
  Præceptis formes, Conſiliiſque juves.

Ad

Ad Sereniſſimum Principem Eugenium Ex Sabaudiæ Ducibus, Armorum Imperialium ſupremum Præfe - ctum, ac Invictiſſimum Ducem 7.

O Decus Allobrogũ, Belli Vis, Fervor, & Ardor,
  Cæſaris Auxilium, Præſidiumque tui;
Verte per Adriacos fluctus tua lumina; late
  Spectabis Thracum Carbaſa, Vela, Rates:
In Venetos tollunt ſua cornua ſæva; Leoni
  Aligero tentant undique ferre Necem:
Accurras armis; tumidos duc Agmina in Hoſtes,
  Eugeni; Thracum comprime, frange minas:
Non Tibi bellandi Robur, nec deficit Auſus;
  Nec ſunt Militiis Fata maligna Tuis:
Quid poſſis, noſcit Rhenus; ſcit Sequana, & Iſther;
  Quas vires Agmen non habet, unus habes:
Æquoreas inter longis cum fletibus undas
  Sentiat Eclypſim Luna ſubacta ſuam:
Te Duce, naſcatur Venetis Victoria Regnis:
  Threiicios lacerent Agmina noſtra Canes.
Aſtrologi Martem ponunt ſuper Ætheris Arces;
  In Terris Martem Te tua Dextra facit.

Ad VIRRIGUM Comitem DAUN Regni Neapolitani Proregem, ac Tiani Principem. 8.

Undique per totum ſunt mille pericula Regnũ
 Inſidias Hoſtes nocte, dieque parant:
Æquoreo Venetos agitant certamine Thraces;
 Cornibus exultat Luna ſuperba ſuis:
Daunia, & Iſtonium, Lycium, Bariumque, Tarentũ
 Inſpiciunt latè funus abeſſe parum:
Adriacum reboant Tormenta exploſa per Æquor,
 Obſcurat fumus Solis ubique Jubar:
Ampla procelloſis tollunt Incendia flammas;
 Evomit in mediis fluctibus Ætna faces:
Belligeris armis ſævit crudelis Enyo;
 O quales furias vibrat ab ore Furor!
Aſſurgunt gemitus, fletus, lachrymæque ſub auras;
 Et triſtes geminat mæſta querela ſonos:
Nereides ſpectant languere Cadavera in Undis,
 Et patrias auget flebilis Humor Aquas:
Nil, Virrige, tamen, Te Principe, ab Hoſte timemus;
 Mercurii Ingenium, fulmina Martis habes.

Ad Roccum Comitem Stellam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis intimum, Conſiliarium. 9

COgnomē Tibi STELLA dedit, Rocce inclyte, (Fati
Eſt Omen felix, Indiciumque tui;
Ingenii præſagus habes cum lumine acumen,
Nec miror, STELLÆ vaticinantur Opus:
Materiam puram fulgentia SIDERA jactant,
Eſt Tibi ſinceræ Candiditatis Amor:
ASTRA regunt Nautas per inhoſpita Cærula Ponti,
Nec faciunt Syrtes, Naufragiumque pati:
Tu Res Hiſpanas protendis, aliſque, foveſque,
Omnia Conſilio dum ſapiente regis:
Bethlæa ſub Rupe Ortum monſtravit Eois
Regibus inſolito lumine STELLA Deum:
Judicii Lux mira tui quod Cæſaris auget
Imperium, monſtrat, præcipit, urget, agit:
Undique Te nimio celebrat Germania plauſu:
Provida, quæ monſtras, lumina Nullus habet:
Nocte nitent STELLÆ, pereūt poſt Solis ad Ortū;
STELLA Tua effulget, nec periiſſe poteſt.

Ad Hieronymum Capicium de Rofrano Marchionem, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis intimum Conſiliarium. 10.

SUnt Tua cõſpicuis, Hieronyme, digna triumphis
 Geſta, refert centum Gloria ubique Tubis:
Blanda Tibi Comitas, Senſuſque in pectore liber;
 Nec violata umquam, nec violanda Fides:
Italiæ implevit Virtus Tua laudibus Urbes;
 Pro Te cum plauſu murmurat uſque Tagus:
Nec tacuiſſe poteſt pulchros Germania mores,
 Nec Motus Animi cum gravitate pios.
Te Proceres venerātur, amant, celebrantque, colun-
 Encomiis Populi Te ſuper Aſtra ferunt (que:
Floreat in Vultu quamuis Tibi pulchra Iuventus,
 Lumine conſilii crederis eſſe Senex:
Alta Tibi Mens eſt, nimiùm pro Rebus agendis
 Utilis: Eventus firmat, & Acta probat:
Aſpirat Fortuna Tuis cum Pallade Votis;
 O vivas, quoniam vivere ubique meres:
Te Titulis auxit Cæſar; ſunt præmia factis
 Debita: nobilius mox Decus ille dabit.

Ad Joſephum Bolagnos Excelſi Conſilii Hiſpanicæ Monarchiæ Conſiliarium. II.

PAlladis eximias gemmas,gazaſque nitentes
  Ingenio, Joſeph, claudis, habeſque tuo:
Theſauros omnes Tibi dat Prudentia Juris;
  Quotquot habent leges dogmata, mente capis:
Italiæ populis nota eſt ſapientia Mentis,
  Qua polles, vernas, nec ſine laude viges:
Cæſaris auxiſti vires, roburque Peculi
  Aſtreæ Cuſtos, Juſtitiæque tenax:
Nemo ſilet Moreſque tuos, atque inclyta geſta;
  Quodque facis jactat Gloria, quodque jubes:
Tu Caroli dilectus Amor, Tu dulce Viennæ
  Præſidium, atque Aulæ, Conſiliique Pater:
Quod Cælo par eſt, ſpectas; quodque utile Regi,
  Quodque juvat populos,hoc bene Cautus agis:
Plurima fatales ſilent Tibi luſtra Sorores,
  Nec rupto annorum ſtamine Vita cadat:
Vir Juſti Cultor, Recti Defenſor, & Æqui
  Laudari expoſcit, nec meret ille mori.

Ad Raymundum Villena Perlas Marchionem de Rialp intimum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium.

ILluſtras Mundum radiis Virtutis, & Aulam,
Nomine demonſtras hoc, Raymunde, tuo:
Clara Tibi Mens eſt, Solis velut aurea Lampas;
Spiritus excelſi Cordis acumen habet:
Non eſt Ingenio qui par Tibi fulgeat; omnes
Exuperas Calamo, Lumine, Conſiliis:
Ardua quæ reputant Alii, nec pervia factu,
Illa eadem parvo in tempore plana facis:
Difficiles rerum Syrtes, Spinæque, Tricæque
Non poſſunt Votis impoſuiſſe moram:
Iuſtititia, Integritas, Comitas, Candorque, Fideſq;
Accumulant plauſus, multiplicantque tuos:
Te Carolus vehementer amat, gaudetque viciſſim
Ille tuis Monitis, Conſiliiſque regi:
Omnia ſuccedunt nimio digniſſima plauſu,
Te Duce; nil Momus carpere dente poteſt:
Tu Solii Hiſpani Columen, Tu Vita, Saluſque;
Ex Dictis pendent plurima Regna tuis.

Ad

Ad Joannem Antonium Alvaradum, & Colomum Secretarium Excelſi Conſilii Hiſpanicæ Monarchiæ pro Regno Neapolitano. 13.

DUm reliquos inter fulges in Cæſaris Aula,
Antoni, Domini Gloria, Honorque tui;
Tu quoque Carminibus fias venerabile lumen,
Nec pigeat Verſus luce replere meos:
Suggerit æquatos Tibi Mens de pectore ſenſus,
Eque tuis labiis aurea dicta fluunt:
Sirenis populos omnes moderaris, & Urbem;
Neve deeſt Pietas, neve decora Fides:
In populos ſpecioſus Amor Tibi fervet, & æquus:
Omnia Juſtitiæ pondere facta regis:
Te Caroli vigilem reddit Reverentia: Rebus
Indefeſſa viget Cura, favetque Labor:
Donet Olympiadas plures Tibi proſpera Clotho,
Nec rumpat longos facta maligna Dies:
Parthenope gaudet, Germania, Iberia, & Orbis,
Dum Res Auſtriadum, quos veneramur, agis:
Palladis alta Domus Tua Mens excelſa putatur:
Eſſe nihil majus, nobiliúſque poteſt.

Ad

Ad Joannem Carafam Equeſtris Militiæ Præfectum ex Polycaſtri Comitibus. 14.

NEc Te prætereūt mea Carmina, maxima Regni
Gloria, belligeros qui moderaris Equos;
Rebus in ambiguis Tu nobile Robur in Hoſtes,
Tu patriæ Clypeus, Præſidiumque vigil:
Si forte inſurgat metuendus in Urbe Tumultus,
Audaces motus Tu domuiſſe potes:
Recta tuis Armis ſunt omnia tuta, nec ullus
Terror ineſt populo, nec Metus ullus adeſt:
In Te pugnandi Virtus, & bella gerendi,
In Te Conſilii, Militiæque vigor:
Jam Pyrrhi nomen renovas, & nomen Achillis:
Perſonat egregius Plauſus ubique tuus:
Præſidium tua Fama Urbis, tua Gloria & Agmen,
Quo nil contra Hoſtes fortius eſſe reor:
Undique Craterem Tecto ſpecularis ab alto,
Nec properant Hoſtis Vela, nec ulla Rates:
Vela, nec armigeras Turmas properare videbis;
Quique tuum clarum Nomen ubique timet.

Ad Petrum Antonium Comitem Barnabam Magnæ Curiæ Vicariæ Judicem, atque Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium Aulicum. 15.

COrde Tibi reſidet Pietas, in Pectore Pallas,
Antoni, noſtri Parsque, Decusque Fori:
Alta Themis tribuit lances, & contulit Enſem,
Ut Judex poſſis Cuique dediſſe ſuum:
Pro populo, pro Rege vigil ſine fine laboras,
Et gaudes rerum pondera dura pati;
Carolus agnoſcit Moresque, Animumq; Fidemque,
Et quidquid nimia non ſine laude facis:
Præmia pro meritis ſpondet majora; proinde
Sis hilaris, turbet Cor Tibi neve Dolor:
Donet Olympiadas longas fauſtiſſimus Æther,
Filet & innumeros Parca benigna Dies:
Non aufert quidquid differt Fortuna merenti,
Implebit faſtu nobiliore Togam:
Nomen ad Occiduos ibit, ſimul ibit Eoos;
Et referet plauſus Gloria ubique tuos:
Tunc noſtras Muſas, tunc dilige corde Camænas,
Carminibus fauſtis Omina fauſta canunt.

Ad

Ad Sereniſſimum Dominum Cæſarem de Avalos Vaſti, & Piſcariæ Marchionem, atque Equitem ex ſingulari faſtu incomparabilem.

Servitiis addicta tuis mea Muſa per Aulam
  Mille dedit quondam plauſibus aucta Jocos:
Laudaſti verſus, & dulcia Carmina, Cæſar,
  Quæ Tibi poſcenti noſtra Thalia dabat.
Poſt varios fluctus, & magna pericula Rerum
  Gratulor in Portus Te rediiſſe tuos:
Grandior irradias Titulis, & lumine fulges,
  Atque nitet faſtu nobiliore Domus;
Illuſtres Atavos ſuperat Tua gloria felix,
  Auſtriacos multa laude ſequuta Deos:
Eſto memor noſtri, parva hæc dum dona ſacramus,
  Nec tumido Nugas ſpernere corde velis;
Neſtoreos Annos Tibi proſpera Numina donent,
  Et ſerò cineres contegat Vrna Tuos:
Cæſar es, auguſta me protege fronte Poetam,
  Protexit Cæſar grande Maronis Opus.
Si longos fletus pro Te mea mæſta dederunt
  Lumina, Fac ſurgant Gaudia mille ſinu.

Ad

Ad Nicolaum Pignatellum Vibonis Ducem, atque Equitem ex eximio Decore venerabilem. 17.

QUis Mores, Nicolae, Tuos Sirenis in Urbe
Non laudat? plauſus Quis tribuiſſe negat?
Te reverenter amant Populi, Proceresq; viciſſim,
Curia miratur quæque decenter agis:
Pauſilypi Colles, Prochyteque, & proxima tecto
Inarime Nomen tollit od Aſtra Tuum:
Integritas, Juſtique Ardor, Cuſtodia Recti
In Te conjuncta eſt, cumque Pudore Fides:
Sardoas Gentes rexiſti lancibus æquis;
Pax viguit ſub Te Principe, & alma Quies;
Nec fera Seditio fremuit, nec triſtis Enyo;
Arma nec abripuit ſanguinolenta manus:
Quique ſuo vixit; nec perfidus Ardor habendi
Alterius pravo corde cupivit Opes:
Auſtriacus majora dabit Tibi præmia Cæſar;
Sicanas Urbes mox quoque Jure reges,
Tunc latè aſpicies totam gaudere Triquetram,
Atque Tuis addet plurima Serta comis.

Ad Franciſcum Marinum Caracciolum Abellinatum Principem, atq; Equitem ex ſpecialibus Virtutibus laudabilem. 18.

NUnc Sol ad Boreã, nunc ſe convertit ad Auſtrũ,
Nunc nitet Eôis, nunc micat Occiduis;
Sic ſua partitur toti vaga lumina Mundo,
Diſtribuitque Diem, participatque Iubar;
Ex hoc laudatur per Regna, per Oppida, & Urbes;
Neque eſt qui plauſus ſæpe dediſſe neget;
Vtilis apparet populis, & luce benignus,
Dum prodeſt Ortu, dum juvat Interitu;
Moribus egregiis Soli par eſſe videris,
Franciſce, & vere lumina Solis habes:
Parthenopem quondam decoraſti lumine, ſed nunc
Vngaricas Arces, Pannoniaſque vides;
Quoque loco irradiat Faſtuſque, Decorq; ,Leporq;
Dulcis Amor, Comitas, cumque Pudore Fides.
Conſiliis, dictiſque tuis, & gratia agendi
Obſtupet Auſtriaci Cæſaris Aula nimis:
Sed redeas tandem; redeas, Franciſce, rogamus,
Mille facit Gemitus Nos Mora longa pati.

Ad Carolum Carafam Magdalunenſium Ducem, atque Equitem omni ex parte ſpectabilem. 19.

O Tia quæ lento retinent Te, Carole, greſſu?
Quæ compes pedibus? quæ Mora lōga Tuis?
Parthenope Te tota cupit; Te nobilis Ordo,
Te Plebs, Teque Forus, Teque Theatra volunt:
Jam ſat Pannonias Arces, ſat Cæſaris Aulam
Vidiſti; in Patriam Quid rediiſſe vetat?
Natorum Te flectat Amor; Te coniugis Ardor,
Te moveant Populi publica Vota tui:
Sollicita charos Reditus properantibus alis
Sit procul ex pedibus Remora pigra,rogo:
Mille triumphales Tibi Gloria præparat Arcus,
Mille parat Phœbus Carmina, mille Lyras:
Pauſilypi dulces optant Te cernere Nymphæ,
Atque ardent Viſu, Colloquiiſque frui.
Fiet ab aſpectu latè lætiſſima Siren,
Et minues Cordis vulnera, quotquot habet:
Cæſaris an tanta eſt Comitas, & Nectar agendi
Quòd nolis Vultus deſerviſſe ſuos?

Ad

Ad Franciſcum Carafam Colubrani Principem, atque Equitem ſingulari benignitate præditum. 20.

O Matris, Generiſque Tui Lux inclytá, Avorum
Gloria, cui Pietas fulget & Ingenium;
En Tibi jucundos offert mea Pagina Verſus,
Sis placidus vultu, dum mea metra legis:
Nec, Franciſce, dolor tibi ſit; nec deſpice Vatem;
Si ſpectas meritis dona minora Tuis:
Cælicolæ thuris micas dignantur in Aris,
Nec ſpernunt, quoties munera parva damus:
Ut reor, ut novi, grata eſt Tibi blanda Poëſis,
Carminibus reſonat Verſibus Aula tuis:
Naſones blandos volvis, Statioſque tumentes,
Et plura ex illis aurea dicta bibis:
Auguſto placuit quondam ſacra Muſa Maronis,
Mæcenas Flacci nobile plauſit Opus;
Tu plaudas metra hæc; quod ſi contingat, ut opto,
Non poterit majus Verſibus eſſe Decus.

Ad

Ad Paulum de Sangro Sancti Severi Principem, atque Equitem ex Italica Poeſi admirabilem. 21.

O Phæbi, Pindique Decus mirabile plauſu;
Paule, poetarum delicioſus Honor;
Egregias Muſas Tibi contulit inclytus Arnus,
Ex illis toto Nomen in Orbe ſonat;
Argutas fandi Veneres tua Carmina claudunt;
Nec Modus inſipidus, nec Stylus arte rudis:
Pierides vidique tuas, ſtupuique viciſſim,
O quantum priſcæ Nobilitatis habent!
Inclyta ſpectavit Florentia Carminis Artem;
Nec potuit fiorum corripuiſſe Decus:
Nunc tibi, quos ſpectas verſus, ego dono merenti,
Dona quidem titulis debita, & æqua Tuis:
Accipias, plaudas, paruum nec deſpice Carmen;
Quod tibi ſacrarem, non mihi majus erat.
Poſt ſeros cineres ſpero te vivere in illo;
Neve mei cordis gratus obibit Amor;
Cùm Fel das aliis, expectas munera Fellis;
Cùm Nectar præbes, non niſi Nectar habes.

Ad Joannem Jacobum de Marinis Cenſani Marchionem, atque Equitem ex pia humanitate amabilem. 22

STat tibi pulchra Domus pulchræ propè Tethyos undas,
Jacobe, Ingenii nobilioris opus;
Cominùs inſpectas munitam Turribus Arcem,
Præſidio armatum, Militibuſque Solum;
Ex tali aſpectu bellandi concipis Ignem
Fortaſsè, & Martis corde calente faces:
Sed procul ex animis abeat crudelis *Enyo*,
Nec Tibi pugnandi ferveat intùs Amor:
Arma ferunt cædes, pariuntque pericula agenti;
Conturbant populos, excidioque Domos:
Eſt Monſtrum Bellum, quo vix crudelius ullum,
Oppida, Caſtra, Urbes, Templa, Theatra cremat:
Obiicio blandis oculis mea Carmina, in illis
Sæpe revoluendis Otia lenta teras;
Nec Phæbus nocuiſſe poteſt, nec florida Clio;
Imò colunt Mores, erudiuntque Tuos:
Lemmata proponunt paſſim dulciſſima Menti;
Quæ fugienda, monent? quæ facienda, regunt:
Perlege, nec pigeat noſtras ſpectare Camænas;
Conveniunt Meritis Carmina noſtra Tuis.

Ad Octavium Caracciolum Floreni Principem. 23.

O Patriæ, Patriſque mei Dominator, & altus
Arbiter, egregiæ conditionis Eques;
O Recti Cuſtos, veræ Pietatis Amator,
Octavi, ex priſcis nobile Germen Avis;
Hoc parvum Carmen tamquã memorabile pignus
Obſequii meritis ſacro, dicoque Tuis;
Accipe, nec ſpernas Munuſcula dulcia Vatis,
Sæpe meos Verſus inſpice, ſæpe legas:
Ex Titulis, radiiſque Tuis, & Sanguinis Ortu
Accipiet magnum Pagina noſtra Decus:
Florenum ditione regis, juſſiſque gubernas,
Hic mihi cum Laribus Fata dedere Genus:
Ex hoc par duxi mea metra offerre, decebat
Officium Muſis, Pieridaſque Deas:
Nata tuo recipis florentia Lilia in Horto;
Deque tuis plantis dulcia poma damus:
Octo Tibi Nomen faciunt, ſed ſæcula vivas
Mille, precor; ſero funere Vita cadat.

Ad Auroram Sanſeverinam ex Biſiniani Principibus. 24.

AUrora in Cœlo nocturnas diſſipat Umbras,
Et propè jam Solis nunciat eſſe Jubar;
Excitat ad cantum Volucres per prætia, & Agros,
Et facit ut gignant ore canente Melos;
Tu tamen in Terris decoras Virtutibus Orbem,
Et paris egregio lumine Cuique Diem:
Muneribus ſuccenſa Tuis cum Pallade Clio
Ingenio efferveſt, Carminibuſque calet;

Mœroris tenebræ triſti de corde recedant,
Cùm datur aſpectu, colloquioque frui;
O vivas ſemper felix; Tu Palladis Ardor,
Tu quoque Pieridum, Caſtalidumque Lepor.

Ad Hyppolitam Cantelmi ex Pectorani Principibus. 25.

PLurima fœcundo feciſti pignora partu,
Hyppolita; & rapuit Mortis iniqua Manus;
Credimus Elyſios inter colludere Campos,
Omnibus innocuo in pectore Candor erat:
Nunc felix Lucina Marem Tibi præbuit, illi
Concedant Superi plurima Luſtra, rogo:
Nec Mars, nec puerum lædat Saturnus ab alto;
Sit Sol, ſit placido cum Jove fauſta Venus:
Neſtoris enumeret longos, & Caſtoris annos,
Pollucis pariter ſpectet Olympiadas:
Quot Gemitus Alii tribuerunt funere Matri,
Hic Soſpes totidem Gaudia læta ferat.

Ad Magdalenam Trivultiam ex Principibus Trivultiis. 26.

O Veneris ſpecioſus Amor, cui mille Lepores,
Mille Jocos teneros Gratia blanda dedit:
Quis Te? Quis rapuit, pulcherrima Magdala, Terris?
Quis Vitæ ſecuit Stamina chara Tuæ?
Debueras vixiſſe diù, ſic inclyta Virtus,
Sic meruit Candor, ſic Decor, atque Fides:
Te gemit extinctam Populus, Te nobilis Ordo;
Pro Te Parthenope luget, & uſque dolet:
Fœminei fueras dulciſſima Gloria Sexus,
Lumen, & eximius Nobilitatis Honor:

Ex

Ex quo damnavit Letho Te barbara Clotho,
Nos lacerat Mæror, Triſtitieſque premit:
Elyſios Campos habitas, credoque, putoque,
Atque hilares Manes reddis, ibique facis.

Ad Thomam Franciſcum Spinellum Fuſcaldi Marchionem. 27.

EXcoluit quondam Tellus Sicana Camænas,
Et Phæbi Hoſpitium, Pieridumque fuit,
Sicelides Muſæ paulò majora canamus;
Arguta ſcripſit floridus Arte Maro:
Propterea placuiſſe nimis Tibi Carmina credo,
O Lux Sicani, Gloria, Honorque Soli:
Accipias, Franciſce, igitur quæ metra dicamus,
Nec laceres rigidis dentibus illa, precor:
Tu reliquos Equites inter ſic lumine fulges,
Aſtra inter ceu Sol fulgidus ore micat:
Illuſtres Atavos præclaro è ſanguine jactas;
Et veteri ornatam Nobilitate Domum:
Neve deeſt Pietas geſtis, nec Moribus æquis
Integritas, placidæ vel Gravitatis Amor.
Volve piis oculis Verſus, quos Pagina claudit,
Et Vatem auxilio, præſidioque fove:
De Spinis, Franciſce, Tuis fac grande Flagellum,
Et Vindex Momos comprime, & Juvidiam.

Ad Antonium Caracciolum Torellæ Principem. 28.

FOrtè Tuos vidi pictos in Imagine Vultus,
Antoni, & ſtupui nobilis Artis Opus:
Belligeris Aſpectus erat ſpecioſus in Armis;
O quantum pulchra in fronte micabat Honor!

Dulce Supercilium, Coma fulgida fulgida Imago
In Te monſtrabant Numinis eſſe Decus:
Tale quidem Natura dedit ſpectabile Corpus,
Quòd Te Cœlicolùm credimus eſſe Genus:
Quòt Neſtor vidit, videas quoq; luſtra rogamus;
Neve hilares turbent Aſtra maligna Dies:
Cordis Amor, Pietas, Comitas, Decor, inclyta Vir-
Ut numquam poſſis interiiſſe, merent: (tus,
Si tamen eveniet Mors improba denique, gaude;
Vivus in hoc parvo Carmine ſemper eris.

Ad Scipionem Spinellum Seminariæ Ducem. 29.

DUlcis Amor dulcē generat ſub pectore Amorē,
Ut gignit flammam flamma, favilla facem:
Pieridas noſtras, & Carmina ſemper amaſti;
Præbet enim paſſim baſia blanda manus:
Nunc Te Pierides parvo hoc Epigrāmate laudant,
Et mores plauſu celſa ſub Aſtra ferunt:
Illuſtres Equites inter ceu nobile Sidus
Irradias Generis Gloria, Honorque Domus;
Egregio in Vultu vernat Tibi pulchra Juventus,
O numquam inficiat Ruga maligna genas;
Parthenope Te tota colit, veneratur, & offert
Obſequii meritis æqua tributa Tuis:
Motibus æthereis Cœlum diſtillet in Artus,
Hæc mea ſunt cordis Vota, Salutis opes:
Nec lachrymæ affligant oculos, nec membra dolores,
Nec properè Cineres flebilis Urna tegat:
Hoc Superi faxint, ut ſint mihi Gaudia; namque
Te cupio Incolumem, Teque decenter Amo.

Ad

Ad Franciſcum Emanuelem Pintum Iſchytellæ Principem. 30.

CUm Tibi ſit Tectũ vitrei Crateris ad Undas,
Caſtalias reputo quòd venenaris Aquas:
Hinc Tibi cõpoſui parvã hanc, Franciſce, Poeſim,
Exiguum noſtri perlege Amoris Opus:
Nec Tibi pacati deſunt in pectore Mores,
Nec Tibi cum placida Nobilitate Lepor:
Prima Tibi ætatis vernat ſub fronte lanugo;
Muſarum flores ſola Juventus amat:
Ut Decus Ingenio accedat, lumenque Camenis,
Te volui in Chartis inſeruiſſe meis:
Connubii citò junge Fidem, thalamoſq; jugales,
Carmina tunc vena nobiliore fluent:
Cùm Nereo Phœbus tunc dulcia gaudia plaudet,
Et feret ad Superos Nomen Uterque Tuum;
Cimothoë, Glaucus, nec non pulcherrima Tethys
Cum Muſis facient dulciùs ire Dies:
Carminibus, mixtiſque Lyris fervere Choreas
Spectabis; nec Te lætior ullus erit.

Ad Nicolaum Cajetanum de Aragona Laurentiani Ducem. 31.

EGregios vehementer amas, Nicolae, Poetas,
Et colis Aonidas, Theſpiadaſque Deas;
Exerces Themidos leges, & Jura Poeſis;
Subjectos populos, & regis Arte Lyram:
Clarus es ex Atavis, claruſque ex Conjugis Ortu
Calrior ex meritis diceris eſſe Tuis:
Hinc mihi ſurrexit ferventi in corde Cupido,
Ut Tibi ſacrarem quæ Metra parva legis;

Et lege, & excuſa munus, ſi contigit impar
Excelſis Votis, Conſiliiſque tuis:
Tot ſunt Obſequii Teſtes, quot dedico Verſus,
Præſidio foveas Carmina noſtra, precor:
Quam Lauru Titulus monſtrat, da, porrige Muſis,
Nullus Honor Muſis gratior eſſe poteſt.

Ad Orontium Pinellum Acheruntiæ Ducem. 32.

ALta Tibi Pinus fecit Cognomen, Oronti;
Exprimit excelſum, conſpicuumque Genus;
Si quis Avos ſpectet, non eſt niſi Regia Origo,
Et micat antiqua nobilitate Domus:
Irradiant Alii ſumma Ditione potentes,
Cum gravitate Pii, cum Pietate Graves:
Marte Alii inſignes per tela, per arma, per hoſtes
Grande ſibi, & Patriæ conſtituere Decus:
Tu tamen Urbanis factus virtutibus ingens
Majores tentas æquiparare Tuos:
Rexiſti cum laude Forum, cum plauſibus Urbem,
Nunc rigidus Genius, nunc Tibi mitis erat:
Armatus gladio, munitus lancibus æquis
Feciſti miſeros obmutuiſſe Reos:
Incolumem ſervent longos Te Numina in annos,
Ut poſſis Patriæ Tutor, & eſſe Pater.

Ad Sereniſſimam Venetorum Rempublicam de Bello Turcarum. 33.

O Venetû Germen, Neptuni excelſa Propago,
Adriacas inter quæ dominaris Aquas;
Sume animos, quid Bella paves? quid Vela? quid Hoſtes?
Promittût Lauros Fata, datura Decus;

Luna

Luna licèt tumeat, mox ingemet improba, Cęlo
Auſpice; qui frangat Cornua, Marcus erit:
Sentiet Excidium qui ſperat habere Triumphum;
Ex miſeris oculis longa procella cadet:
Cuſtodit Te dente Leo, Teque ungue tuetur,
Threicios poteris Quid timuiſſe Canes?

Magna Curia Vicariæ. 34.

HÆc eſt alta Domus Themidos, ſāctiſſima Le-
Regia, Juſtitiæ Portus, & Emporium: (gum
Hinc Amor, hinc Altrix procul eſt Calūnia fraudū,
Neve poteſt aliquid Gratia, neve Dolus:
Stat Nemeſis gladio Vindex, & lancibus æqua;
Affligit pęnis, Suppliciiſque Reos:
Incurrunt Alii laqueos, Aliique ſecures,
Si patrant facinus, ſacrilegumque ſcelus:
Quot Patres reſident, tot ſunt Oracula Juris,
Defendunt Rectum, cumque Decore Pium:
Et Regno, & Populo ſi Curia tanta deeſſet,
Urbs hæc Latronum magna ſpelunca foret.

Societas Jeſu. 35.

REgna per, & populos ſibi Lucifer Agmina a-
Et Romæ, & Fidei Bella timēda parat (dunat,
Hinc Turmas Erebi ducit Lutherus, & illinc
Calvinus; fallax Auſus utrique calet:
Heu quanta Europæ meditantur dāna per Urbes.
Deſtruere heu video Relligionis Opes:
Pontificum Ritus molitur & Unus, & Alter
Inficere Ingenio, Moribus, Arte, Dolis:
Sed nil triſtemur, quoniam Loyola Cohortem
Colligit armatam Spiritu, & Eloquio:

Tartareis Monſtris volat obvia; deſtruit, urit,
Arguit, oppugnat, conſulit, atque monet:
Ut Decus Eccleſiæ ſervet, Fideique Nitorem
Augeat, hoc Unum jam ſatis Agmen erit.

Ad Joannem de Avalos ex Trojæ Principibus. 36.

RHethoricas Artes, præceptaque mellea fandi
Te docui, ò Patris Gloria, Honorq; Tui:
His Logicę adjunxi Primordia poſtea; nec non
Quattuor Euclidis, prima Elementa, Libros:
Denique Sors finem poſuit, metamque Labori,
Et ſic deſerui Teque, Tuoſque Lares:
Nunc cõmitto Typis mea Carmina, chare Joãnes,
Nec poſſum Nomen præteriiſſe Tuum:
Dum Sol irradiat, dum Cynthia in æthere fulget,
In Chartis vives, Carminibuſque meis:
Roma cadet, fietque cinis priùs alta Corinthus
Quàm Tua Lethæis Fama peribit Aquis:
Perlege, & addiſces colitur qua lege Poeſis,
Ut Titulis addas Laurea ſerta Tuis.

Ad Martium Maſtrillum ex Ducibus Mariliani. 37.

ILle Ego, qui Logicæ Te ſemina prima Magiſter
Edocui, Verſus tunc Tibi ſacro meos:
Accipies, Marti, munus, quod mittit Apollo,
Et dant Pierides, Caſtalideſque Deæ:
Principibus viſa eſt ſemper jucunda Poeſis;
Erudit Ingenium, Triſtitiamque levat:
Martis habes nomen, Tibi ſint & Apollinis Artes,
Namque decet Titulos Nomen utrumq; Tuos:
Alter

Alter Te fortem, ſapientem comprobat Alter;
Cui Domino Populus ſerviat, aptus eris.

Ad Joſephum Balthaſſarem Caputum Ex Petrella Marchionibus. 38.

EXcolis Etruſcas Muſas, & Apollinis Artes,
Balthaſſar, Pindi, Mæonidumque Lepor;
Italicis compacta modis Epigrammata legi,
Et legi Ingenii ſæpe calentis opes:
Laudibus emeritis decoravi Carmina, namque
Laudibus extolli celſa ſub Aſtra merent:
Regna per, & populos vivit Tua Gloria felix,
Non eſt qui plauſus præteriiſſe queat:
Te fecere Equitem Majorum Stemmata; Mores
Heroem faciunt Te tamen eſſe Tui:
Dat flores Ætas, flores dat pulchra Poeſis;
Floridus hinc vernas Verſibus, inde Genis:
Illuſtris fulget Sanguis de ſtipite Avorum,
Plus illuſtre tamen fulgurat Ingenium.

Ad Eundem Aliud. 39.

NEctareos quondā Tua dextera cōtulit hauſtus:
Nūc Poebi Ambroſias dat Tibi noſtra Ma-
Dulce quidē Nectar, tamē es Tu dulcior illo, (nus,
Si ſpecto Mores cum Gravitate leves:
Parthenope encomiat tua fulgida geſta per Urbem,
Ingenium vivax, conſiliumque ſagax:
Fama per Italiæ fines Tua Carmina plaudit,
Obſtupet argutum Tybris, & Arnus Opus;
Balthaſſar conſumpta jacent tua dona, nec extant;
Ex illis natus vivit, & extat Amor.

Tres Charites dicũt quod ſint; cùm mittimus unã,
Ad Nos ſpectamus tùm rediiſſe duas:
Expedit Urbanos habuiſſe in pectore Mores;
Nec Juviſſe nocet, nec Nocuiſſe juvat.

Ad Aloyſium Capicium Galeotam ex Sancti Angeli Ducibus. 40.

O Cleri ſpecioſus Honor, Lux inclyta Honeſti,
Conſpicui Generis ſpeſque, Decuſque Tui:
Ne doleas, charum rapuit ſi Parca Nepotem,
Dum Vigor in teneris ſtabat utrinque Genis;
Sic viſum eſt ſuperis, Aloyſi, parce querelis,
Nec triſtes fundas triſtis ab ore ſonos:
Immodicos gemitus frænet Prudentia Mentis,
Hæc ſolita eſt placidum reddere quodq; Malum:
Intereunt alii dilectæ Matris in Alvo;
Vix Alii vivunt, inſpiciuntque Diem:
Ætatis ſub flore Alii pereuntque, caduntque;
Inveniunt Alii Fata ſuprema Senes:
Quemque manet Mors atra; juvant nec Stemmata Avorũ,
Nec tituli, aut claræ conditionis opes;
Præſcripſit Natura Homini cum tempore Vitam;
Longior, aut brevior Clepſydra cuique fluit:
Mille tamen Tibi luſtra precor, ſic ſtirpis Origo;
Sic Mos, ſic pariter Vita pudica meret.

Ad Equites Romanos: 41.

O Martis Soboles, Trojæ de Sanguine Proles;
Heroum Germen, Semideûmque Genus,
Majorum ſpectate Decus, ſpectate Triumphos;
Ex quibus inſurgant ad pia Geſta faces;

Ex

Ex Atavis alii gladio viguere, nec Hoſtes
In mediis Caſtris extimuere ſuos:
Conſiliis alii, calamoque fuere potentes,
Ut poſſent Urbis conſuluiſſe bono:
Imperii Faſces alii tenuere, nec unquam
Læſerunt Recti, Juſtitiæque Togam:
Omnes Eximii, clari Virtutibus Omnes,
Omnes excelſa Relligione Pii:
Quæ Vos Pigrities? Quæ Vos Vecordia turpes
Reddidit? effecit qui pigra membra Sopor?
Quæ tenet in tenebris merſas Ignavia mentes?
Quæ cohibent lentas Otia lenta manus?
Virtutes renovate Patrum, Monumentaq; Avorum,
Excitet innatus fortia geſta Vigor:
Marcellos, Fabios, Marios, rigidoſque Catones
Cernite, & ex illis Gloria pectus agat:
Diſcite totam Aſiam validis domuiſſe lacertis,
Et populis Afris impoſuiſſe jugum:
Diſcite Virtutes exponere, & acta parentum
Moribus; ante initum Voſque patretis opus:
Mutius in flammis dextram combuſſit, ab illis
Spiritus ardeſcat, qui ſine laude tepet:
Romanum Nomen meritis fulgentibus auctum
Quà Sol inclinat, quàque reſurgit, eat:
Vos Lupa progenuit, faciat Bellona Leones,
Heroas Orbis credat, & eſſe Deos.

Ad Vincentium Triſtanum abſentem. 42.

Quid tantas curas Juri? tantiſper ab illo
Verte animos, ſupplex Te rogo; verte tuos:
Multiplico chartas, neve eſt Reſponſio; neve
Participes calamo noſſe quod uſque juvat.

nter

Inter Juridicos didiciſti Jura Rigoris;
Te fecit colubrum Curia, Teque feram:
Proiice Digeſtos; Codices quoque proice in Ignes,
Inque Rogum mittas cætera jura precor:
Eſto memor noſtri; Cæſar dat ſæpe querelas,
Quod Chalybes medio in pectore habere doces:
Pectore habere doces Chalybes, ſcopuloſq, rigentes:
Nec mittit literas Dextera, neve Vale:
O utinam teneris Muſis tua vota dediſses,
Dulcior ingenio; conſilioque fores:
Dulcis enim ſemper, Vincenti, eſt viſa Poeſis,
Et ſævos Colubros mulcet, & illa Tigres:
Scribe ultrò, mihi ſcribe, velim; da ſæpe lituras;
Tu Vita es cordis, deliciumque mei.

Pro Feſtivitate Sancti Joſephi Augurium contra Turcas. 43

ET Carolo, & Venetis ſæviſſima prælia Thraces
In Pelago, in Terris, Marte furente, parant:
Innumeras Naves, & collegere Phalanges,
Perq; Salum geminant Agmina, perq; Solum:
Cum Patre Sebetho Siren, & Olympia, & Ægle
Cælicolis vultu ſupplice Vota ferunt:
Avertant Belli Monſtrum, poſcuntque, rogantq;
Nec caleat toto Martis in Orbe Furor:
Arma comes ſequitur Luctuſq; & triſtis Egeſtas,
Et Mors, & Pallor, cumque Dolore Timor.
Sed procul ex animis abeant terrorque, timorq;
Quique hilaris foveat Gaudia mille ſinu:
Et Carolum, & Venetos Joſeph defendet ab alto
Auxilioque potens, Præſidioque vigil:
Ex meritis inter Superos, & Numina Olympi,
Ut Sol, aſpectu nobiliore micat:

Armatus baculo potis eſt magis omnibus Armis:
Quas vires Nobis poſcimus, Unus habet:
Joſephi Tutela igitur mox opprimet Hoſtes,
Quo Thracum pereant Agmina, Fulmen erit.

Ad Jacobum Cappellum pro Veneta Republica Neapoli Reſidentem optimum. 44

QUis te carminibus meritis? quis laudibus æquis
Plaudere, & Encomiis ferre ſub aſtra poteſt?
Jacobe, irradias magnis Virtutibus auctus,
Conſilio eximius, Religione pius:
Integritas, ſpecioſa Fides, & fulgida Honeſtas
Ingenuas Mentis concomitatur Opes:
Tu Venetæ Lux clara Urbis, tuque inclyta Proles
Undique per populos præmia laudis habes:
Te Leo progenuit, ſequeris bona geſta Leonis;
Dum dormis, ſervas lumina utrinque vigil:
Nec te pigrities, nec te vecordia vincit,
Pro Venetis rebus nec Sopor ullus habet:
Parthenope vidit nuper faſtumque, decuſque;
Et ſtupuit vultus officioſa tuos:
O vivas felix, nec Te vis improba Fati
Ulla premat, numeres ſæcula mille, precor:
Fronte biceps volucer tribuit tibi nobile Stemma,
Ut notet antiquum nobilitate Genus:
Cum Pileo Pileus pariter fulgeſcit in illo,
Ut Pylii vivas Tempora longa Senex:
Ceu renovant Aquilæ, renoves tua Luſtra viciſſim;
Serò Tibi inficiat Nixque, Geluque Comas:
Cùm quadriga vehit mediâ Te pulchra per Urbem,
Progeniem magni credimus eſſe Jovis.

Ad Carolum Franciſcum Moles ex Paretis Ducibus. 45.

NAtura Ingenii tribuit tibi nobile lumen,
Judiciique Aciem, Conſiliique Jubar:
Cumq; his ingenuos Mores, animumq; pudicum,
Et formam Eloquii, quæ placuiſſe queat:
Addidit egregios Ortus, claroſque Parentes,
Inſignem Patriam, conſpicuamque Domum:
Naturæ Fortuna ſequax Tibi Stemmata Avorum,
Divitias, Titulos, Commoda, Feuda dedit:
Omnia nunc tentas pro, Carole, linquere Cælo;
Amplecti exoptas Clauſtra, Deique Crucem,
Quàm bene! nam fallax Mundi eſt, & Spinea Imago;
Cum nectar ſpondet, tunc Tibi fella parat:
Carolus Auſtriacus præclaro Nomine Quinctus,
Contemptis Regnis, arſit habere Deum:
Namque Deus ſolus dat dulcia Gaudia cordi,
Deliciaſque affert, divitiaſque parit:
Nominis Indicium felix ſectare; memento
Quòd quidquid ſpondet Sors tibi, pulvis erit:
Bethlæo Chriſtus naſcens hoc tempore in Antro
Te jam divitias ſpernere plaudit Inops:
Accipias hæc parva Animi munuſcula noſtri,
Nec ſpernas donum, quod tibi præbet Amor:
Paſtores quæ dona ferunt, Deus accipit ultrò:
Dignare hìc igitur pagina quidquid habet:

Ad

Ad Ludovicum de Virgiliis. 46.

Virgilii cognomen habes, Ludovice, quid ergò
Expediat, noſcis; quid juvet, inde ſapis:
Da Muſis totos animos, cole carminis artem,
Accede ad vitreas Bellerophontis aquas:
Diſcere nec pigeat Legeſque, Modoſq; Metrorum,
Et Iura Aonidum, Mæonidumque ſequi:
Egregios inter Vates ea Gloria fies,
Quæ Te, quæ Patriam celſa ſub Aſtra ferat:
Cùm tibi Mors rapiet vitam, non totus obibis;
Neſciet in tenebris inclyta fama mori:
Virgilii Nomen ſine laude jaceret in Umbris,
Si, quod miramur, non coluiſſet opus;
Naſcimur, & parva tandem claudemur in Urna;
Nos tamen æternos Gloria ſola facit.

Ad Ignatium Summam ex Caſino. 47.

O Lux, Ignati, veteris ſpecioſa Caſini,
Cui micat egregia conditione Genus;
Antiquos Atavos veteri de Stipite jactas,
Qui fuerant priſcæ Nobilitatis Honor;
Parthenope immemori fidiſſima Teſtis ab ævo
Illuſtrem meritis comprobat eſſe Domum:
Conſpicuum Sedile, cui dat Capua Nomen,
Oſtentat Generis nobile Stemma Tui:
Prima tibi eſt Ætas ſtudiis florentibus apta,
In ſtudiis eſto Nocte, Dieque vigil:
Multa ſapis, ſapies quàm plura fluentibus annis,
Ingenium limat dulce laboris onus:
Cognomen tibi Sũma dedit, quia Gloria ſumma es,
Palladis, & Patrii Spes quoque ſumma Tui.

Dev

Deſcriptio Veris ad Paulum. 47.

JAm crudelis Hyems niveis armata flagellis
Tranſiit; haud ultrà Nixque, Geluque viget
Æolus Æolia ſub Rupe coercuit Euros,
Nimbiferos Cauros, Imbriferoſque Notos:
Nec fragor in ſylvis, murmur nec perſonat ullum
In pelago; poſito flamine, cuncta ſilent:
Mopſus Oves ducit, Tauros per gramina Daphnis,
Perque agros duplicat dulcis Avena melos:
Nympharum ſpecioſa cohors per prædia ſaltat,
Alternoſque agitat grata Chorea pedes:
Regnat Amor, ſervetque Venus, Luſuſq; Leporque
Et miſcet triplex Gratia ubique Jocos:
Fulgidior mittit ſua lumina Cynthius, atque
Elongat vultu fervidiore Dies:
Terra parit flores; veſtitur frondibus Arbor;
Neve Amnes poſſunt ſubſtinuiſſe moras:
Pro parvis pullis nidos componit Hirundo,
Deque luto exiguas fabricat ore Caſas:
Nec tenebræ offuſcant Solem, velut ante; nec Im-
Irriguus ſpiſſis compita replet Aquis: be
Mutarunt Elementa Fidem, vaga Sidera mores;
Neve eſt in Rebus qui fuit ante Tenor:
Non eſt ſemper Idem quodcunq; ſub æthere vivit
Sentit enim certa Mobilitate vices;
Sat Laribus, Tectiſque datum, ſervavimus Ignem,
Paule, ſatis; tenuit ſitque; ſuperque Domus:
Quæramus virides Campos hoc tēpore, & Hortos;
Nam vitreos fontes cernere, & Arva juvat:
Obvia fortaſſe occurret mihi pulchra Philænis,
Colloquiis opto; luminibuſque frui:
Tres fluxere anni cum ſenis Menſibus, illam
Nec vidi; heu quantus ſtat mihi corde dolor!
Aſpe-

ſpectum ſi Fata ſinant, Oculoſque tueri,
Mulcebunt Animi Vulnera ſæva mei.
x primis litter's cæpit me cordis Honoſtas,
Neve pias poſſum continuiſſe faces:
uæ mora Nos cohibet? retinet quę Remora greſ-
lre jubent Veris Tempora, poſcit Amor. ſus?

Ad Joannem Moles Paretis Ducem

De Nativitate Auſtriaci Infantis. 48.

Mperio, & Populo nata eſt jam Maſcula Proles,
Auſtriacum renovat quæ ſpecioſa Genus;
ndique ferveſcunt felici Gaudia plauſu,
Et Nemo laudes continuiſſe poteſt:
thenope, Tybris, Germania, Iberia, & Arnus
ætitiæ oſtendunt publica ſigna ſuæ:
ropæ pacem partu ſperamus ab uno;
Pharmaca Vulneribus qui ferat, Unus erit:
rs ſævos Clypeos tandem deponet, & Enſes,
Nec Rixa in Regno, neve Tumultus erit:
ice, ut exultat latè, generoſe Ioannes,
ebethus, Juvenis factus, ut ante Senex:
ice ut intexunt choreas per Cærula Ponti
auſilypi Nymphæ, Nereideſque Deæ:
ra fluant Puero, Pylio quot luſtra fuerunt;
ec teneros Artus improba Fata premant:
elix Olli Tellus, ſit proſper & Aer;
uſta etiam fiant motibus Aſtra ſuis.
icia Luna gemet, veniet cum fortior Ætas,
otus huic Uni ſubditus Orbis erit.

Ad

AD CAROLUM SEXTUM Romanorum Imperatorem, atque Hiſpaniarum Monarcham

De vicino Partu. 49.

CAROLE, gaude animo; felici corde triumpha,
Mox fuerint Votis proſpera Fata tuis;
ELISABETH Regina Uxor de ventre tumenti
Mox dabit Imperio, Sorte jubente, Marem;
Joſephus vivet, nec non Leopoldus in uno,
Poſt quem Progenies aucta novabit Avos:
Parthenope ſpecioſa genis, & Iberia vultu
Cœlicolis grates non ſine amore ferent:
Adſtrictis foribus, claudet ſua limina Janus;
Amplius abripet ſæva nec Arma Furor:
Bella per Europæ ſines, & Regna videbis
Undique ſanguineas depoſuiſſe minas;
Mars rigidos gladios cuivis mutabit Aratris;
Atque inter Clypeos mellificabit Apis;
Priſca Quies populis, & Copia maxima frugum
Accedet; Ducibus cinget Oliva comas:
Ingemet Ambitio, lachrymaſque ad fluminis inſtar
Ex mæſtis oculis proferet Invidia.

De

De eodem Partu. 50.

ɔpiter ætherei ſuprema Potentia Regni,
ui Mare, qui Terras, quique Elementa regit.
Junone Fidem junxit, chalamoſque jugales,
facta eſt Uxor quæ fuit ante Soror:
l ab Europæ captus Splendoribus, illam,
ɔ Tauri effigie dum latet, eripuit:
ɪue commixto Minos eſt de Sanguine cretus,
ı Stygiæ Judex dicitur eſſe Domus.
er Auſtriacus ſociavit fœdera lecti,
ISABETH facta eſt Juno ſecunda ſui.
cor, & Species, & felix Gratia vultus,
Pudor, & Pietas connotat eſſe Deam:
æc Europam totam ſibi junxit in Armis,
ſtibus ut ſunus detque, feratque ſuis:
xore gravi, gremioque, uteroque tumenti
x, mox naſcetur, Sorte jubente, Minos:
quus, Juſtique tenax, & amicus Honeſti
ıtia populos, Conſilioque reget:
ia Virtuti ſtatuet, pænaſque decentes
minibus; fiet Terror, & Orbis Amor:
lepidè dicunt mea Carmina, Numina faxint;
nc felix Populus, cùm bonus eſt Dominus.

De eodem Partu. 51.

ı Puer optatus regali vagit in Aula,
ıſtriaci Proles Imperioſa Jovis.
ı Majeſtas oculis fulgentibus hæret,
ue Superciliis ridet, & ardet Amor.
Alexander fuerat, cùm Matris ab Alvo
it, & primos protulit ore ſonos:

Ro-

Roboris Herculei ſpecimen dat frontis Imago:
Monſtrat Achillæas vivida forma genas:
Vivat iò, vivat felicia ſæcula, neve
Abrumpat refluos Parca Maligna Dies:
Filet Olympiadas nullo cum limite Clotho:
Innumeros Annos Clepſydra longa ferat:
Alcidæ compar fiet, cum fortior Ætas
Adveniet; franget Monſtra, quot Orbis habet:
Jura dabit populis, atque aurea dogmata legum,
Auctaque fulgebit Relligione Fides:
Regna quot inſpicimus totum diviſa per Orbem,
Optimus imperio qui regat, Unus erit.

De eodem Partu Ad Petrum Antonium Comitem Barnabam. 52.

IMperio, & Carolo nata eſt pulcherrima Proles,
Antoni, Votis ſæpe petita tuis;
Concipe Lætitiam, lepido ſit Riſus in ore,
Exulet ex oculis Mæror, & inde Dolor;
Dextera diffundat ſpecioſa Numiſmata; Cuique
Offerat egregias provida Menſa dapes,
Ferveat omnigeno felix Symphonia cantu,
Muſica nec ceſſet grande dediſſe melos:
Aſpice ut hàc, illàc per Compita Gaudia vernant
Aſpice ut exultat lætus Uterque Forus:
Me pariter cogit Genius dare nobile Carmen,
Meque facit Muſis incaluiſſe meis:
Auſtria plura dedit, ſpondet Tibi plurima: Laurū,
Sed mihi, quam cupio, non ſine laude dabit.

ANT 1313937